









2127
A

GVLIELMI FABRICII HILDANI CHIRVRGI SELECTÆ OBSERVATIONES Chirurgicæ quinque & viginti.

Item,

DE GANGRÆNA ET SPHACELO TRACTATVS Methodicus.



EXCVDEBAT GABRIEL CARTIER.

CIƆ IƆ XCVIII.



GENEROSISSIMO AC AMPLISSIMO VIRO, HILDEBRANDO CROSANO: Lausannensi Patritio: Domino à Prilly & Cressy, &c.

Domino meo benignissimo, ac plurimùm obseruando, IOANNES RHETERIVS salutem dico.



TII illius nostri ærumnas, Vir Amplissime, censuerũt amici clarissimi spisso quodam è Theologia nostra opere consolandas iuxtà ac nobilitandas. At ego segnioris naturâ ingenij, iudicij per ætatem minùs excussi, adeóque contracti ex malorum iliade stuporis tacitè conscius, veritus item pruritus suspicionem, diu steti ambiguus: quippe interim id amœnissimũ

ad ſalutem lumen ex eorum maximè ſentẽtia affulgebat, quos ſpretos non oportuit. Tandem excuſſi veternum, & dedi me in viam, Chriſti auſpiciis. Succiſiuis autem horis, cùm relaxandi animi gratia frequens Fabricium hunc noſtrum inuiſerem, (inuitabat autem viri in arte Chironia eximij, inſignis non dico humanitas, at pietas potiùs charitáſque verè Chriſtiana) fortè incidi in Obſeruationum eius quos premit cõmentarios, in quibus cùm recens eáque nobiliſſima curatio Luſtriacenſis deſcribenda eſſet, adhibitum me voluit. Exin ſolicitato guſtu, creuit amor in virum hunc & operationes eius. Et cùm Medicarum Obſeruationũ exempla rara ſtudioſè perquiri audirem, quę ſanè luculenta apud præſtãtiſſimos neotericos quoſdam mirari ſoleo ex iſtius dono, placuit ab inſtituto paulum deflectere ad Pyladis mei Chirurgicas hiſtorias

ſiuę

ſiue Obſeruationes, adiūcta de Gangræna & Sphacelo eiuſdem methodo pridem Germanicè, nuper autē Gallicè edita, & doctiſſimorum virorum calculis, vt audio, comprobata. Iſte Obſeruationes ſelegit ac diſpoſuit: ego Latinè reddidi, vt potui, omnia: clariſſimus demū ac præſtantiſſimus Medicus D. Saracenus, rei arbiter digniſſimus & authori ſummus, recognouit ac recenſuit. Iudicent qui poſſunt: ego harum artium rudis, ex authoris celebri dignitate, & nominatiſſimi Regij Medici iudicio ſat habeo rerum venerari pondus & momenta. De Obſeruationum autem origine & vſu in genere, ſi quæris, Vir Nobiliſſime & diſciplinarum amantiſſime, dicam pingui Minerua & tāquam in tranſcurſu quod ſentio.

Cùm Deus & Natura, teſte paſſim Ariſtotele, nihil temerè faciant, hominibus tamē ignoratione cauſæ for

tuita multa putãtur. Hinc in artibus & cæteris quæcunque aliter euenire possunt, dubia non pauca. Vnde Aristoteles Ethic. Nicom. lib. 6. cap. 4. ait fortunam & artem circa eadem quadantenus versari: citátque Agathonis veteris poëtæ versiculum,

Fortunã Ars diligit, Artémque Fortuna.

Ideo necesse habent quotquot circa τὰ ἐνδεχόμενα versantur, quales qui Artem Medicam, aut Prudentiã Ciuilem tractant, per singula ire obseruando & annotando, vt quæcunque vaga, fortuita, absurda & singularia occurrunt, eadem collecta memoria ad experientiam & conformationes vniuersales reuocentur, & à fortunæ ludicra opinione ad Naturalis, aut Ciuilis scientiæ principia & axiomata tralata stabiliantur. Nam cùm viro Medico tã dædaleus, támque subinde nouus appareat in corpore humano, morbis interturbãtibus, Naturæ fle-

xus:

xus: itémque, cùm vobis viris Politicis rerum humanarum & ciuiliũ tam varia & subitò mutans ac nutans facies obseruetur, dentúrque non pauca, quibus hîc Prudentiæ, illic Artis principia infirmantur raritate & miraculo, necesse est fugaces Dædali imagunculas eiusdem methodi vinculo sisti & colligari, qua notissima iamdudum artium ac doctrinarum principia etiamnum & habemus & declaramus. Nempe docet Aristoteles generali clausula librorum de Demõstratione, principia ista, eorúmq; habitus singularium inductione comparari per Naturæ facultatem ad sensilia criticam. Ex sensu memoria, inquit: tum ex eiusdem frequẽtata memoria existit experientia. Complures enim numero memoriæ vnam constituunt experientiam. Quasi cùm in prælio milites fugã capessunt, si collectis animis substiterit vnus, deinde

alter,& ſic deinceps alij, neceſſe eſt ad fugæ principium deueniri, & ſiſti omnes in cohortem: ita in animo, ſi illorum quæ ſenſibus percipiuntur, fuga reprimatur, & notionum non differentium colligatur manus, vniuerſalium ac principiorum fiet conformatio, ex qua demum ſcientificæ cuiuſque diſciplinæ Demõſtrationes & Complexiones. Quæ omnia quàm multis obſtructa ſint difficultatibus, quanto labore veſtiganda & diſtinguenda, quibus & quàm paucis perſpecta ingeniis, commendata accuratiſſima methodo, diuinè Plato in Epiſtola ad Dionis propinquos & familiares. Sic audio & lectitando ipſe agnoſco, Coum illum in re Medica facilè principem cùm alibi, tum Epidemiorum libris exquiſitè annotaſſe quæcunque rara in viſendis ægrotis deprehenderet ſiue in morbis, ſiue in pharmacorũ natura & vſu: vnde tam

eximia


eximia in eo viro Naturalium & Medicarum notionum, axiomatum & theorematum conformatio, vnà cùm Therapeutices tutiſſima peritia.

Nec aliter prudentes viri in Rep. adminiſtranda ſe comparant ad deliberationes & decreta plerunque ſummè ardua, cùm ab æuo primo ad ſuũ vſque deuoluuntur per nobiliſſimas hiſtorias & diſtinctas temporũ epochas, obſeruatis quoque prudentum hominum in rebus gerendis, aut iure dicundo ſcitis placitíſque: ſicque ex præteritis futura conſulti reſpondent, multiplici videlicet rerum vſu & doctrina edocti.

Id accurat in Chirurgica Sparta noſter hic: cuius cùm Obſeruationũ ſpecimen ex eius dono meum, edi placeret, non potui non tibi προσφωνεῖν, Vir Nobiliſſime, hac qualicunque opella noſtra, tùm quòd vtriuſque noſtrûm amantiſſimus es, & tua humanitate

ſamiliaris, tum ob eã qua tu me præter alios ſemper proſequutus es, benignitatẽ tuo dignam genere, tua amplitudine: iam inde à Prilliacenſi inauguratione illa in Miniſterium Eccleſiaſticum, cuius domeſticum monimentum manuſcriptũ quod habes à me, ludicrum licet & iuuenile nimis, huc transferri fecit quotidiana penè Fabricij noſtri flagitatio, quò magis magíſq; gratus erga te animus, ſi quà poteſt, innoteſcat. Vale, Vir Nobiliſſime, méque cum optimis tuis ciuibus amare perge. E Muſæo noſtro, Nonis April. 1598.


XENIVM



XENIVM INEVNTE ANNO 1593.

Coniugio ſtabili coëunt inſignia gentis
CROSANAE & GRANDIS, *miſto virtutis amore.*





משל

מִן הַתֵּבָה נָח יוֹנָה מִכֶּסֶף
נָסָא עֲלֵה־זַיִת טְהוֹרָה:
בִּלְבָנוֹת לְבָבָהּ הִיא אוֹרְאָה
בֵּית וְגוֹי קְרוֹזָנוּס אֲבוֹת לֶאֱסֵף:
כּוֹכְבֵי מְאָמוֹ וְקוֹרָה
זֹהַר בַּשָּׁמַיִם לָהּ נוֹרָה:
אַרְצָה חֲבַצֶּלֶת שְׁמוֹ הֶחָשֵׂף:

ראה טהר

ΕἸΔΟΣ





ΕἾΔΟΣ ΜΟΝΟΣΤΡΟΦΙΚΌΝ

κατὰ δυωδεκάδας.

Δυωδεκὰς α΄.

Ἔκγονον ἄνδρ᾽ ἐρικυδέων
ἐξ ἀρετᾶν νέος ὕμνος
εὐφρανεῖ, θείαν γενέθλαν·
δὸς δὲ νέῳ ἐνιαυ-
τῷ μοι νέον δῶρον, θεά,
Πιερίηθεν ἴθ᾽ ἀ-
δοισ᾽ εὐθύπορον μέλος αἰδοίῳ γένει,
τοῦ πυκνὰ χάρις, δύναμις τ᾽ ἀφένοιο
εἵνεκα, καὶ σοφίας.
ἄστροις μὲν αἰπεινοῖς ἕδραι
στίλβοντι φωτὸς παρθένῳ
πρώτᾳ συνεύνῳ.

Δυωδεκὰς β΄.

ἃ πόρεν οἱ μέγαν ὄλβον,
κλαρονόμον γεγραφυῖ᾽ ἀ-
τέκνος· εὐδόξῳ τ᾽ ἀνεψι-
ᾷ φίλος ἶσον ἔφυ·
ἐπεὶ μόνος προῖκ᾽ ὤπασε
δαρὸν, ὅπως νόσον εἴρ-
γοι εὐγενέος κεφαλᾶς θείας ἄπο.
ἃ δὴ ἄρ θῆκε συγγενεῖ ᾧ ὑπέροπλον
μναμόσυνον χάριτος,
πλοῦτον, μέγιστον δῶρον, ἐν-
δόξου γένους στήλαν βροτοῖς,
μοίρᾳ δαμεῖσα.

Δυωδεκὰς γ'.

ὡς ἦ πάλαι λόγος ἀνθρώ-
πων, τετελεσμένον ἐσλὸν
μὴ χαμαὶ σιγᾷ καλύψαι,
μνᾶμα πέτεινὸν ἔθη
ἀμφοῖν, θαητὸν ποικίλοις
στίγμασιν, ἐν κορυφαῖς
καλῶν μεγάρων, ἵνα καρποὺς ἀφθόνους
ἀγρῶν ἀμπελῶν τε γεωργὸς ἄνακτι
ἔνθα καὶ ἔνθα νέμει.
κεδνᾶς θ' ὁμοίως νῦν πολιᾶ-
ται σᾶμα κλεινὸν συζύγου
ἄλλας δάμαρτος.

Δυωδεκὰς δ'.


στέμματι δ' ἀγλαὸς ἥρως
τὰν ἀρετὰν, πατρὸς οἷο
σᾶμα πάλλευκον πελείαν
σεμνοπρεποῦς ἀφελεί-
ας εἶδος αἰπεῖ οὐρανῷ
διοτρεφὴς ἔλαχεν.
λάμπει δ' ἅμα μαλέρος ἀστὴρ
διοὸς, χρυσέᾳ δοκίδι στιβαρὸν ἔ-
ρεισμα δόμων συνέχων.
ἀνθεῖ χ' ὕπαι λευκὸν ῥόδον
ὀδμὰν ὀπάζον δώμασιν
ὄλβῳ θεόρτῳ.

EPIGRAMMA.

Coniuge læta ſuo coniunx, ſobrina ſobrini
Officiis, poterant viuere: Parca vetat.
Idem hæres vtrique, nouam cum prole iugalem
Nunc retinens, memori ſignat opes animo.
Hinc quæ Prilliaca ſurgunt inſignia villa,
Fœmineum gaudent tollere ad aſtra decus.
Queis adpicta micat puro candore columba:
Cum ſtellis tignum, cum niueáque roſa.
Illud ſtemma patris: maternum hoc: nobile vtrũque,
Nobile, & antiqua ſimplicitate pium.
Candida ſi genitrix, genitor tibi candidus, ecce,
Quid te, YSBRANDE, queam dicere candidius?



EMBLEMA.




Græcè.

Πρὸς σκολιῷ σκίπωνι δράκων πύκα ἵσταται ἔνθα,
    Ἔνθα δ᾽ ἀλεκτόειος· μαργαείτης ὁ μέσος.
Αἲ γὰρ σὺν κάμνοντι παρῇ νόος ἰητῆρος
    Ὀρθὸς, καὶ σκοπίη, θ᾽ ὑγιὲς ἐκφύεται.

Latinè.

Nodoso in baculo prudens hinc prominet anguis,
    Inde vigil cantans: vnio stat medius.
Quippe ægro si adsit Medici prudentia docti,
    Excubiæq́ue, nitens tum valetudo subit.

GVLIEL-



GVLIELMI FABRICII HILDANI CHIRVRGI SELECTÆ OBSERVATIONES Chirurgicæ quinque & viginti.

OBSERVATIO I.

Ficus cancrosus in oculi dextri orbita, cum grauißimis capitis symptomatis, fœliciter extirpatus.



ANNO Domini 1596. Calendis Augusti acciuit me Lausanna Lustriam Generosus Claudius Lustriacus, eius loci & totius Vallis propriè sic dictæ Maior: quoniam diro & funesto morbo conflictabatur. Is fuit tumor prominens, scirrhosus, in cancrum degenerans, cum symptomatis internis & externis longè grauissimis.

Lustria oppidulum procul Lausanna ciuitate duo circiter milliaria, ad marginē Lemani.

Hic cùm à natura, tum à variis morbis, febribus, casibus, luxationibus, fracturis, &c. haud parum fuit catarrhis obnoxius: maximè cùm accederet moris patrij victus largior cum amicis & hospitibus, in quos fuit perpetuò liberalissi-

Morbi initium. mus. Itaque anno 1580. cùm fuisset hyems humida & clemens, hauddubiè corporis vniuersi partes oppletæ sunt humoribus excrementitiis, qui à iocinoris calore sursum ac imprimis ad caput sublati, cœperunt diuexare hominẽ. Ineunte enim anno 1581. circa Februarij finem æger correptus est hemicrania ad dextrum latus, & frustra adhibitus multum diúque medicus: siquidẽ humor capite conclusus, euacuationis quæsita via, impetum fecit in oculũ dextrum. Hinc vehementissimus dolor & inflammatio. Et sic superiora symptomata, dolor capitis, febris, inquietudo, vomitus, lipothymia, aucta sunt potiùs quàm imminuta. Nec, vt aiebat æger, præsidiis, reuulsione, deriuationéue vlla potuit sisti humoris affluxus: quinimò congestio tanta facta est, vt tandem erosa sit vel potiùs putrefacta oculi membrana prima, coniunctina dicta. Hîc *Obseruatio.* verò breui eáque necessaria digressione annotandum, supra decem hebdomadas non solùm dolorem adfuisse grauissimũ, sed & cerebri motum attrectanti perceptum fuisse, quà sagittalis & coronalis suturæ concurrunt: auditos etiam sonitus & cranij crepitationem quandam, quasi lignũ finderetur. Id ego tùm accidisse autumo, quum cranij suturæ ob dolorem, inflammationem & copiosum in cerebro humorem disiũctæ sunt: & verum fuisse mihi persuadeo, cùm ex amplissimi viri ægroti relatu, & generosi Gabrielis à Blonay Baronis à Chattelart, &c. eius generi *Eiusdem rei altera obseruatio.* assiduò præsentis, tum quòd ipse tale quid obseruârim in viro honestissimo apud nostrates Germanos inferiores. Hic ex grauissimo morbo & febri

& febri ardente, cum dolore capitis acutiſſimo, habuit ſuturas adeò diſiunctas, vt per interſtitiũ illud cerebri ſyſtole & diaſtole facilè deprehenderetur. Vbi via facta eſt ad coniunctinã, longo tẽpore exſtillauit copioſus humor: túmque primùm & dolores & reliqua ſymptomata mitigari cœperunt. Vrgentibus doloribus adhibitus erat ceruici ſetaceus funiculus, ſed eum vt nimis incommodum poſt 15 dies detrahi iuſſit. Clauſo vulnere impreſſum eſt ibidem potentiale cauterium: ſed & hoc vlcus, ceu nimis dolorificum, claudendum fuit. His fruſtra tentatis optauit æger humori morbifico dari exitum excitato vlcere in dextro brachio, beneficio potẽtialis cauterij. Tùm demum partim ob febrim antè dictam, quæ pleroſque humores ſuperfluos abſumpſerat, ipſúmque adeò corpus exſiccârat atque extenuârat, partim propter euacuationes ſubinde iteratas, partim denique quòd cauterium ita ad brachium applicatum fluxionem auerteret, oculus cœpit areſcere. Et quoniã tres oculi humores, ruptis coniunctina & cornea membranis, effluxerant, ſenſim etiam concidêre & contractæ ſunt ipſę membranę: atque ita oculus, deperdita naturali magnitudine & rotunditate, ſimul quoque in imam orbitam contractus eſt, & coëuntibus palpebris clauſus ab anno 81 ad 95 citra ſymptoma vllum, niſi quòd ſingulis annis ſubinde recurrebãt & defluxus & capitis dolor.

Anno demùm 95 cùm in dięta modũ non ſeruaſſet, rediit capitis & oculi dolor, priore tamen leuior: ideo fortean, quia membranæ & reliquæ oculi partes etiamnum dilatatæ erant, vnde po-

Hippocr. Aph. lib. 2. Aph. 51.

terat humor ſine vi influere. Etenim *quæ ſenſim fiunt mutationes, parum dolorificæ ſunt.* Sic igitur affluente magis magíſque humore in capacitatẽ coniunctinæ propriis humoribus deſtitutæ & contractæ, ipſa paulatim intumuit. Tùm verò palpebræ quindecim annis clauſæ denuo apertę ſunt, & oculus adeò intumuit, vt poſt ſemeſtre palpebras ſuperaret, ſparſis per totum oculum venarum ramis liuidis, craſſo, aduſto & melancholico ſanguine turgentibus. Tùm ęger, ingraueſcentibus in dies & morbo & ſymptomatis, vndelibet pręſidia conquirere cœpit: inter quę adhibitum fuit medicamentum, quod adeò irritauit morbum, vt ſubitò accreuerit oculus plurimùm. Exin, vt initio dictum, vocatus ſum ab ægro Luſtriam in eius ædes. Laborabat ille hemicrania ad dextrum latus: oculus ouo anſerino maior extra palpebras prominebat, durus, ſcirrhoſus, liuidus & cancroſus: aderat magna oculi & vicinarum partium inflammatio: præter capitis dolorem, oculi quoque dolor acutiſſimè pungens, in parte exteriore potiſſimũ, hominem malè habebat. Quòd ſiquis miretur, quomodo ex tumore duro & ſcirrhoſo tantus dolor excitatus fuerit, in prõtu ſunt cauſę. Primùm enim tunc formabatur cancer, fiebátque humor corroſiuus & acris, ac proin vellicans & calefaciens vicinas partes. Deinde inualeſcẽte morbo violentiùs humor irruebat in coniunctinam, quæ eſt exquiſito ſenſu prædita. Doloris verò in extima parte vtplurimùm grauioris quàm in intima cauſa fuit oſſiculum quadratum & vndique ſcabroſum, quod interiùs ad coniunctinam

latens

latens(vti ab operatione compertum)eam perpetuò premebat ac pungebat. Accessit & febris, itémque sitis, lipothymia & vomitus. His ego symptomatis cœpi statim occurrere. Itaq; post præscriptam legitimã victus rationem, sub vesperam iussi leniẽtem clysterem iniici. Postridie purgatum fuit corpus sumtis duabus vnciis syrupi rosacei laxatiui cum rhabarbaro, agarico & senna infusis & decoctis in aqua betonicæ, agrimoniæ & euphrasiæ. Sequentibus diebus propinatum fuit Iulapium sequens:

℞. Aquarum borraginis,
Acetosæ &
Betonicæ, ana ℥ ij.
Syrupi de succo citriorum &
Granatorum, ana ℥ ij.
Misce pro tribus dosibus.

A purgatione secta fuit vena cephalica rẽspõdens parti affectæ, & missus sanguis ad vncias circiter sex. Paucis pòst diebus admoui hirudines venis iugularibus sub aurem ad idem latus, necnon & scapulis cucurbitulas modò siccas, modò cum scarificatione. Pedes laui decocto herbarum calidarum, rorismarini, saluiæ, maioranæ, origani, menthæ, cum sale &c. Suadebãtur & frictiones: sed cùm his incalescat sanguis, subtilísque, calidus & erodens euadat, censui abstinendum, contentus memoratis reuulsionibus: maximè cùm æger lubens iteraturus esset sępius superiorem purgationem per syrupũ rosaceum compositum & similia, quibus peccantem humorem subduxi. Ita mitigata imminutáq; sunt paulatim symptomata. Statim etiam partem af-

fectam ablui goſſypio imbuto ſtillatitia quadam aqua, quæ multum poteſt aduerſus cuiuſcunque partis cancrum. Eius hæc eſt forma:

Eximia deſtillatio contra cãcrum.

℞. Radicum ſcrophulariæ maioris,
herbarum geranij primi Dioſcoridis, hoc eſt, herbæ Roberti, ana M. ij.
arnogloſſæ maioris,
ſolani,
bugloſſæ ſylueſtris,
borraginis,
portulacæ,
euphraſiæ,
betonicæ, ana M. j.
ranarum aquatilium &
album. ouorum diu agitatorum, ana nu. 2.
ſeminis cydoniorum & fœnigræci aliquãtum conquaſſatorum, ana ℥ j. His ſeminibus
affunde aquarum roſarum &
euphraſiæ, ana ℔. j.

Incidantur omnia & conquaſſentur, deſtillentúrque in alembico plumbeo.

Et quoniam ingens fuit affluxus, præter reuulſiones admoui fronti ſequẽs vnguentum ad fluxionem intercipiendam:

℞. Farinæ hordei ℥ ij.
pulueris roſarum rubearum,
myrtillorum,
balauſtiorum,
nucum cupreſſi &
florum betonicæ, ana ʒ ij.
acaciæ ʒ j.

Cum oleo roſato, pauca cera & aceto, fiat vnguentum.

Hoc

Hoc defensiuum adhibui tribus vel quatuor diebus, ad sistendum fluxionis impetum: dein supersedi, ne plus satis refrigeraretur caput. Hac methodo sedaui ad tempus tum capitis, tum vlceris dolores acutissimos, cęteráque symptomata, crescente nihilominus in dies tumore.

Aliquantò pòst rogatus sum ab ægro vti sibi fusissimè morbi naturam declararem, liberéque aperirem quæ præuiderem pericula omnia, ac simul quæcunque ad sanitatem optima viderētur præsidia proponerem. Tùm ego coram clarissimo Alberto Roscio D. M. Lausannæ commorante, in ædibus Claudij Marionis fidelissimi ac diligētissimi pharmacopœi & ciuis Lausannensis, ita disserui. Generose Domine, siquidē adeò exoptas & iubes coràm declarari quæ ad morbū tuum attinēt, etsi præter medicorum institutum in consultationibus id sum facturus, dicā tamen liberè & coràm quæ sentio. Ad quemuis morbū tollendum, caput est nosse ipsum morbū. Tuus iste ab essentia definitus, nihil aliud est, quàm scirrhus illegitimus, seu potiùs cancrosus; quippe qui desinit in cancrum occultum & latērem, hoc est, non exulceratum. At ex figura Celsus φρόπ]ωσιν, vel cum Latinis, exitum oculi nominat. Actuarius μῆλον, id est, malum vocat. Ego à figura Ficum, ab essentia scirrhosum & cancrosum cognomino. Scirrhus propriè medicis dictus, est tumor durus & indolens, qualis hic ante annos aliquot. Verùm posteà humor coniunctiua membrana conclusus & ita quasi conculcatus, vt nulla potuerit fieri trāspiratio, tandem accensus est & acrior atque malignior redditus:

Definitio morbi in hoc ægro.

Cels. lib. 6.

mah

ſicque formatus eſt ſcirrhus illegitimus, ſeu potiùs cancroſus. Hoc indicant non modò durities, inæqualitas, dolor, color liuidus, ſeu potiùs plumbeus, ſed maximè venæ craſſiores toto tumore ſparſæ, atro ſanguine, aduſto & melancholico turgentes. Et quamuis nondum exulceratus ſit tumor, periculum eſt tamē, ne temporis progreſſu ſanguis & humores melancholici accenſi tantum malitiæ attrahant in locum affectum, vt tandem (proh dolor!) exeſa cute fiat cancer vlceratus, aduerſus quem medicamentis fruſtra pugnetur.

Cauſa morbi. Primitiua. Huius & ſimilium morborum cauſa triplex: Primitiua, antecedens, coniuncta. Primitiua medicis eſt exterior, poſita in victus ratione aliíſque non naturalibus, aëre, motu & quiete, ſomno & vigilia, animi pathematis, excretis & retentis. Plerunque enim ſi ſupprimantur ſolitæ euacuationes, vt menſium & hęmorrhoidum, fit magna congeſtio humoris melancholici: vnde hic morbus. Naſcitur etiam ex vulneribus, contuſionibus, fracturis: imprimis verò eryſipelate & inflammationibus perperam curatis: cùm ſcilicet ipſarum materia frigidiorum applicatione in duritiem cōcreſcit: aut cùm ſolis calidis, non etiam emollientibus, tenuior portio diſſoluitur, craſſiore ſubſiſtente.

Antecedens. Antecedens cauſa eſt humor melancholicus, item ſplenis imbecillitas, qua fit vt ex officio ſuo ſanguinis portionem fæculentam ex iecore non alliciat. Huc quoque plurimùm facit ipſa iecoris conſtitutio, ſiue id naturâ procliue eſt ad generandam atræ bilis copiam, ſiue nimis calidum

dum & biliosum, vnde coquatur nimis & aduratur sanguis, necnon & alij humores. Coniuncta causa est, humor in locũ affectum congestus. Tres istæ causæ hîc concurrunt. Nam cùm generosus Dominus habitu sit non mediocriter bilioso, bilis assiduò præbuit materiam humori melãcholico: siquidem cholericus humor summa adustione tandem etiam vertitur in atram bilem. Adde victus rationẽ, in qua haud parum peccauit Dominus, largiùs potans, vténsque cibariis crudis & concoctu difficilibus, itémque aromatis, cæpis, alliis, porris, raphanis, &c. Huiusmodi primitiuarum causarum cõcursu excitata & corroborata est antecedens: inde humor ille qui ab anno 81 supererat ex inflammatione indurata in oculi membranis, data occasione accreuit. Cúmque superflui humores ferè influant in locum affectum, natura sese, quantum potuit, exonerauit in eum locum. Hinc coniuncta causa in istam quam videmus magnitudinem aucta est: & perget, inquàm, nisi occurratur iis quæ infrà proponemus auxiliis. *Cõiuncta.*

Quoad signa: tametsi initio cancri sicut herbę germinantes difficilè cognoscũtur, authore Galeno, nihilominus tumor iste sat liquidò intelligitur cancrosus, contra eos qui merum esse scirrhum apud generosum Dominum contenderunt. Cancri cognoscuntur eo, quòd sint prædurì, inæquales, liuidi, sparsis circa tumorem crassioribus venis, atro sanguine turgentibus. *Signa cãcri. Galen. Meth. med. lib. 14.*

Sæpe etiam adest intemperies calida, siue calor & inflammatio cum dolore pungẽte & pruriente. Si fuerit exulceratus cancer, exit subtilis

& fœtida ſanies. Iſta autē hîc viſuntur pleraque omnia. Non quidem peruenit cancer ad ſummā malitiam, ſed ad eam properat, breui peruenturus. Aduſtus enim ſanguis loco affecto incluſus tandem contrahet (& iam cœpit) malignitatem tantam, vt quæ hactenus mirè operata ſunt præſidia ſedandis doloribus, reprimendo morbo & minuēdis ſymptomatis omnibus, demū infirma futura ſint ad reprimendum morbum & prohibendū ne exulceretur & occupet reliquas faciei partes, ſicque fiat *Noli me tangere*, hoc eſt vlcus cancroſum in facie perquàm malignum & immedicabile, aſſiduò erodens imas partes affectas, nec ſiſti pote, vt monet Aëtius.

Prognoſtica.

Aëtius lib. 6.

Curatio.

Nunc de curatione. Hæc perfici ſolet tribus potiſſimū: victus ratione, euacuatione humoris antecedentis, & Chirurgicis auxiliis. Victus & cæterorum non naturalium quæ ſit ratio iam ſæpe ex me audiuit Dominus: vitanda nimirum eſculenta dura, vaporoſa, & quæ facilè corrumpuntur: cuiuſmodi ſunt carnes ſale aut fumo inueteratæ, bubula, ſuilla, ferina & ſimiles: itē aues aquaticæ. Vtendum bona veruecina, vitulina, hœdina, pullis, capis, perdicibus, turdis &c. Piſcibus abſtinendum, niſi fortè, vt nōnihil appetitui indulgeatur, iis vti liceat ſub initiū prandij, nō in cœna, ídque adiectis paucis aliis cibis. Sint autē piſces carne firma præditi, veluti percæ, truttæ, &c. In aquatilibus optimi ſunt gāmari ſine aromatis. Aromata enim omnia vitanda, piper, zingiber, garyophylli &c. item cæpę, porrū, allia, raphani, ſinapi, & quæcunque vim habēt calefaciēdi nimis ſanguinē: legumina, fabæ, lenticulæ,

ticulę,piſa,phaſioli,&c.plurimùm nocẽt:itẽ caſeus,& quęvis lactaria opera. Veſpertina iuſcula potiſſimũ noxia: vinũ itẽ vaporoſum. Bibendũ autẽ album,maturum & modicè potẽs. Diuturnus ſomnus,potiſſimùm ſtatim à cœna, noxius: aër itẽ nimis calidus,aut ſũmè frigidus vitãdus.

Secundã ſanationis partem diximus poſitã in euacuando humore antecedente: quod vbi fiet, ſpectãda erit Domini habitudo bilioſa, & intẽperies calida,cum obſtructione iecoris: ideóq; purgandũ cholagogis,habita tamẽ partis affectę ratione. Quẽ in vſum mirè placet ſyrupus roſaceus cõpoſitus cũ rhabarbaro,agarico & ſenna, quo ſæpe vſus eſt ęger,cũ decocto betonicę,euphraſię,agrimonię &c.Salubriter etiam vſus eſt pręſcripto à me diaphœnico in tabellis, & electuario de ſucco roſarũ. At ex Hippocrate ante purgationẽ pręparandus eſt & coquẽdus humor apozematis aperientibus,qualia poterit pręſcribere DD.Roſcius.Phlebotomia,cucurbitulæ & hirudines ſępe vtiles,imò neceſſarię ad hũc morbum, tum vt euacues minuáſque cauſam antecedentem,humorẽ videlicet melancholicũ,tum vt deriues à loco affecto. Opportunum his vernum tempus, authore Hippocrate. *Quibuſcunque*,inquit, *venæ ſectio, vel medicatio conuenit, hos vere purgare,vel vena ſecta vacuare oportet.* Aperiẽda vena brachij ad latus partis affectæ:cucurbitę ſcapulis & clunib⁹ applicãdę.Hirudines applicẽtur, quo modo iã applicuimus magno Domini bono, modò ſub aures ad iugulares venas, modò ad hęmorrhoidas ano, prout medico videbitur,ídq; vrgente demũ neceſſitate. Tũ verò

Hippocr. Aph. lib. 6. Aph. 22.

Hippocr. Aph. lib. 6. Aph. 4.

ſenſim emittẽdus ſanguis propter malè cõſtitutũ iecur, quod cùm ſit iamdudũ debile, ſcirrhoſum & obſtructũ, dubiũ non eſt quin nimia aut importuna phlebotomia plurimùm ſit nocitura.

Tertia & poſtrema tollendi morbi ratio poſita eſt in operatione chirurgica, in curando videlicet loco affecto. Porrò huius morbi ſanatio chirurgica duplex eſt: Vna palliatiua ſeu fucata: Altera vera. Palliatiua eſt, quam hactenus adhibuimus & cõmodo victu, & purgato ſæpe corpore ad deducendum humorem, ſiue cauſam morbi antecedentem, atque etiam inhibendo eius impetũ exterioribus applicationibus, qualibus hucuſque ſumus vſi. Sed cùm hæc curatio tandem futura ſit inualida ad reprimendã morbi vehementiam, & perfectè ſanandum ægrum, operæpretium fuerit proponere veram & legitimam ſanationem.

Curatio palliatiua.

Cùm igitur legitima ſanatio tumoris præter naturam, authore Galeno, fiat extrahendo tollendóque quicquid adeſt in parte affecta: videndum quot modis tolli poſſit tumor ſiue excreſcentia iſta, & quæ tollendi tutiſſima ratio. Iam antè ex me audiit Dominus, id faciendum vel reſoluentibus, vel erodentibus pharmacis, aut ipſa manu. Quoad reſoluẽtia, cùm tumor ſit duriſſimus, credibile eſt nullo reſolutum iri medicamento, niſi priùs emolliatur. At verò præterquàm quòd huiuſmodi prædura materia tamdiu (quindecim videlicet annis) congeſta emolliri nequit, periculum eſt, ne ex iſto emollientium vſu tumor ſubitò contrahat ſummam malitiam, vti teſtatur Galenus, & nos in tractatu de

Meth. med. lib. 13. & 14.

Author tract. de gang. c. 3.

de Gangræna confirmauimus, exemplo ſcirrhi in iocinore inueterati. Hic enim adhibitis emollientibus, ſtatim verſus eſt in cancrum exulceratum, ex quo mors. Ex hac ergo methodo nil ſperandum. Erodentia verò mihi perquàm periculoſa cenſentur. Nam cùm prominẽs hic tumor ſit duriſſimus, credibile eſt benigna medicamẽta irrita futura: quin potiùs, vt ſumma durities adeſt, ſic vehemens requiritur medicatio, cuiuſmodi eſt quæ vi ſepticorum & eſcharoticorum fieri ſolet. At verò vt lenibus non afficitur cancer, ſęuiſſimum malum, ſic irritatur & ingraueſcit vel tantillùm acribus & vellicantibus, vt antè expertus eſt æger. Porrò cùm pars affecta ſit cerebro proxima, oculus videlicet, in quem, vt radicitus tollatur morbus, penetrandũ eſt altiùs ad neruum opticum erodẽtibus pharmacis, hauddubiè illorum vis communicabitur membranis cerebri, vnde maxima & periculoſiſſima exorietur inflammatio: ſiquidem magna intercedit ſympathia & neceſſitudo inter oculi tunicas & capitis, vt infrà liquebit ex oculi anatome. Ergo ne ſic quidem ſanari poteſt æger.

Supereſt quam diximus chirurgica operatio, vt ſimul & ſemel extirpetur quicquid vitioſum eſt. Hæc autem omnium minimè periculoſa, meo quidem iudicio. Primùm, quia ſolidè coniicio me facilè poſſe radicitus malum extrahere, quantumuis altè latens in oculi orbita, nempe ad ipſum vſque opticum neruum, cuius & pars amputanda. Deinde, quia venarum & arteriarũ vaſa ibi tenuia ſunt & quaſi capillaria: idcóque

nullum hæmorrhagiæ periculum. Denique licet altiùs incidendi ſint nerui opticus & qui ſecūdæ coniugationis eſt, nullùm tamen periculum: ſiquidem neruis perfectè inciſis in obliquum, eorum extremitas contrahitur, ipſiq́ue integuntur carne, ſicque deſinit illorum functio, nec ab aëre aut medicamentis lædi poſſunt. Vnum hoc timendum, ne cùm ægri corpus iamdudum cacochymum ſit, ac ætate iam prouectiore, ad annū videlicet accedēs quinquageſimum ſextū, facilè accendatur intemperies in partibus intimis, ſimúlque excitentur febris, capitis dolor, aliáq; id genus ſymptomata. His vt occurrat, laudabili victu vtendū, purgationes vſurpādę, ſecāda vena, applicādę cucurbitulæ, & cæterę reuulſionū ac deriuationū ſpecies: ſicque tuta erunt omnia, ſi modò benedixerit Deus Opt. Max. cui pro generoſo Domino vota nuncupamus.

His auditis, partim quòd exhorreſceret æger, partim quòd diſſuaderēt nōnulli, abſurdè & imperitè ſpem facientes fore, vt quicquid ex oculo prominebat ſponte excideret, viſum eſt pergere in curatione palliatiua. Hac verò etſi ſedabātur dolores, nihilominùs tamen excreſcebat fungus in dies. Naſcebātur quoque tubercula & varices liuidæ ad piſi magnitudinem, merum quandoq; ſanguinē emittentes. Eiuſmodi hæmorrhagiam etſi probabant nōnulli, vt quę ægrum & partem affectā leuatura videretur, ego contrà conſtāter affirmaui ita indies magis magíſq; debilitatū & refrigeratū iri iecur iāpridem obſtructū, durum & ſcirrhoſum, ac tandem illectum iri ſanguinem alióſq; humores ad caput & faciē: vti ſanè accidit

dit 13. Iulij. Reuerſo enim generoſo Domino à breui peregrinatione, ex qua incaluerat ei caput, itémq; corpus vniuerſum, tubercula illa & varices oculi cœperunt ſanguinẽ profundere tanto impetu, vt 13. & 14. diebus eius menſis impletæ ſint ſanguine ſcutellę ſeptẽ, pręter eũ qui periit in linteis, ſpõgiis, veſtibus &c. Singularũ ſcutellarum ſanguis à me appenſus pręſentibus g. Dn. ægroto, Nicolao Gantino, Frãciſco Croſerano, & Ioãne Glaronio, fuit vnciarum decẽ & ſemis: quod quidem tam verũ eſt, quàm dictu mirabile. Paulò pòſt æger impenſè debilis, imminẽte altero profluuio me accerſiuit eiuſdẽ menſis die 15. Cum primùm aduenio, faſciã qua malum cõtegebatur reſoluo: tùm cœpit ſanguis lõgè maiore quàm vnquam anteà impetu promanare: id quod, niſi fuiſſem teſtis oculatus, ægrè crediidiſſem, quũ ſint oculi venæ ferè omnes capillorum inſtar exiles: ſed hę cõtrà in hoc bono viro varicũ inſtar dilatatę cõſpiciebãtur. Attamẽ inſperſo puluere noſtro ſanguinis ſiſtendi vi prædito, cuius deſcriptio habetur in libelli noſtri de Gãgræna cap. xv. illicò ſuppreſſus ita eſt ſanguis, vt deinceps non niſi parciſſimus fluxerit. Ab hoc profluuio declinantibus ſenſim viribus, & excreſcente indies oculo, nonniſi miſerrima eáque propinqua mors expectabatur, cùm tandem generoſi viri, Barò à Châttelart & Dominus à Denizy eius generi, cũ aliis nobilibus & honeſtiſſimis amicis ſtatuerunt aduocandos eruditiſſimos & peritiſſimos quoſq; medicos & chirurgos, quorum deliberationi & ſentẽtię ſeſe æger ſubiiceret. Annuente ægro accitur Geneua cla-

Obſeruatio inſignis.

riſſimus ac doctiſſimus Ianus Antonius Saracenus M.D. & Philoſophus eximius: Lauſanna itẽ doctiſſimus DD. Albertus Roſcius, ſenex experientiſſimus. His me tertium adiunxit æger beneuolus, vt ſi opus eſſet chirurgica operatione, hanc ego perficerem. Die Iulij 28. inita conſultatione, propoſui quæ infrà ſuo loco. Verùm hîc mihi digrediendum in eos, qui ſpem adeóque fiduciam ægro faciebant fore, vt totus oculus ex orbita ſponte decideret, allatis imperitè & ſtolidè exemplis, quibus perſuaſus æger operationem tam diu differri voluit: vnde morbus deterior euaſit, in dies noua ſubinde creans ſymptomata, imprimis autem profuſum illud & mirabile ſanguinis profluuium, extenuationem maximam, iocinoris refrigerationem, &c. Vt autem demõſtremus nõ poſſe oculũ ſuopte impetu decidere: item, vt confirmentur quę paulò pòſt ſumus allaturi, conſideranda eſt oculi compoſitio & connexio, quam breuis & ſynoptica eius expediet anatome: tùm deinde quàm falſo vulgus oculum ex ſua orbita excidere poſſe ſibi perſuadeat, docebimus.

Oculi anatome. Oculus conſtat muſculis, tunicis, humoribus, neruis, venis, arteriis, pinguedine & glandulis. *Muſculi.* Muſculi ſunt ſex: quorum quatuor perficiunt motus rectos, ab ima orbita oriundi & cincto neruo optico in medium oculum deſinentes. Hi dum functionem ſimul omnes exercent, introrſum trahunt oculum: ſi ſuperior ſolus agit, ſurſum: ſi inferior, deorſum: ſi dexter, dextrorſum: ſi ſiniſter, ſiniſtrorſum trahit oculum. Reliqui duo ipſum circumagunt: vnde præſtantiſſimo

Bauhino

Bauhino Circumactores dicti. Horum vnus lõgior & gracilior, oritur fere ex eodem loco ex quo ille qui dextrorſum flectit oculum, ad maiorem videlicet canthum, & poſtquam peruenit ad anteriorem anguli intimi partem, quâ lacrymalis eminet glandula, tùm deſinit in tenuiſſimum tendonem, qui per mediam quæ illic eſt membranam, velut per annulum, penetrat: hinc in ſuperiorem oculi partem abſumitur. Quintus hic muſculus dum cõtrahitur ad principium ſuũ tendone circulari, eo motu torquet oculum ad canthum maiorem. Sextus illi contrarius oritur ab inferiore orbitę parte: & cùm ſit tenuiſſimus, tranſuerſim aſcendit ad angulum exteriorem, oculúmque ita tranſuerſim inuoluit, vt exiguo tendine ipſi inſeratur iuxta quinti inſertionem. Hinc fit, vt duo tendones ſæpe videantur vnus. Hic ſolet oculum extrorſum flectere ad minorẽ canthum. Eſt & nonnullis ſeptimus muſculus in ima orbità infra ſex illos, opticum neruum ambiens: ſed hic in ſolis brutis reperitur. *Casp. Bauh. Anat. hiſt. cap. de muſc. oculorum.*

Tunicas numerant alij quinque, ſeptem alij. Ego quod Anatomicis magis receptum ſequutus, quinque ſtatuo. *Tunicæ ſeu membranæ.*

Prima eſt coniunctina ſiue adnata, Epipephycos hymen Gręcis, à pericranio orta: hæc aſtringit & ſtabilit oculum in orbita, ideóque eum totum integit vſque ad circulum Iridem, & totum oculi album conſtituit. *1. Coniunctina.*

Secunda cornea dicitur, cuius origo proximè à dura matre, laternæ corneæ inſtar pellucida: differt hæc & variat à ſe ipſâ: ſiquidem anteriùs eſt perſpicua, vt præbeat rebus obiectis tranſi- *2. Cornea.*

tum:posteriore parte opaca est. Qui septem putant, duplicem hanc faciunt: partem quidē diaphanam, corneam: reliquam partem σκληρωτικὴν siue duram nuncupantes. Mihi vna & simplex esse videtur.

3. *Vuea.* Tertia est Vuea siue choroides, intertexta venis & arteriis instar secundarum muliebrium. Oritur à pia matre: totum oculum ambit, excepta pupilla, in qua est perforata, & corneæ adhęret per venas & arterias, quas nutritionis & vitæ causâ illi communicat. Vbi ad Iridem peruenit, relictâ cornea descendit intrinsecus, & nonnihil reflectitur ad ampliorem ambitū humoris crystallini. Porrò in parte posteriore multicolor est, nigra, fusca, cęrulea &c. instar iridis cœlestis, multos in vsus.

Primùm, si vnicolor esset, omnia visui obiecta, eum colorem repræsentarēt. Deinde colore nigro tincta est: vt cogantur spiritus à luce dissipati. Tertiò, fusca & cęrulea, ad conseruandum & recreandum visum: mollis est, ne lædat humorem crystallinum, in cuius circumferentiam desinit. Perforata est ante humorem illum, ne obscuritate sua rebus obiectis aditum ad crystallinum humorem intercluderet: sed potiùs vt tot colorum species illo nigrore tanquam cōtrario suo colligi & corroborari possint. Qui septem tunicas fingunt, hanc quoque diuidunt in duas: à neruo optico ad iridem, secundinam: reliquum quod est infra partem pellucidam corneæ, vueam dicunt.

4. *Amphiblestroides.* Quarta Amphiblestroides seu retiformis, oritur à neruo optico in tunicā verso, & in reticuli

formam

formam texto ex venis, arteriis & neruis quos accipit ab vuea, cùm ad ſui nutricationem & vitam, tum propter humorem vitreum, quem poſtica parte cingit.

Quinta Arachnoides, figura & conſiſtētia telam araneæ referens, cingit humorem cryſtallinum anteriore parte, vt conſeruet eum, vtpote primarium viſus inſtrumentū ſi contigerit lædi reliquos humores. Credibile eſt oriri ab excrementis humoris illius cryſtallini. *5. Arachnoides.*

Cæterùm reperitur & alia membrana proximè infra coniunctinam, aliquibus innominata dicta: verùm hos ego putârim potiùs extremos tendones ſex illorum muſculorum in membranam èxtentos.

Tunicis continentur humores tres. Primus aqueus, ad inſtar aquæ limpidus. Situs eſt inter corneæ pellucidam partem, humoris cryſtallini in pupillâ patētem portionem, atque eam reflexionem vueæ quæ ab iride eſt* ad humoris cryſtallini circumferentiam: vt vacuum illud implens corneam diſtēdat, eiuſdémque prolapſum in humorem cryſtallinū prohibeat. Item vt humiditate ſua humorem cryſtallinum vindicet à nimia exiccatione. *Humores.* *1. Aqueus*

Secundus humor cryſtallinus eſt, à colore lucido & ſplendente cryſtalli inſtar, ſitu medius in oculi centro, vitreo innatans, à quo nutritur: pro ſpeculo eſt videndi facultati eò deductę per ſpiritum viſualem. *2. Cryſtallinus.*

Tertius humor albugineus, figura & conſiſtentia albumini oui ſimilis: ſitus eſt in poſtica parte cryſtallini, vt aliquantum retardetur ſpi- *3. Albugineus ſeu vitreus.*

ritus visualis impetus per neruum opticum ad humorem crystallinum descendentis: haud aliter quàm aqueus crystallino parte antica obiectus est, ad reprimendos obiectorum colorum impetus. Hic humor alitur à tunica retiformi.

Nerui. Nerui duo. Vnus primæ coniugationis opticus, à quo spiritus visualis defertur ad oculum. Postquam peruenit ad vitreum seu albugineum humorem, absumitur in structuram tunicę retiformis. Alter secundæ coniugationis, sub egressum è cranio in orbitæ radice distribuitur & dissipatur in oculi musculos, quibus motum affert.

Venæ & arteriæ. Venæ & arteriæ aliæ sunt internæ, illuc productæ cum tunicis vasorum cerebri: aliæ externę, constitutę in coniunctina & musculis iis qui à venis iugularibus & carotidibus extimis oriũtur. Ministrant oculis alimentum venæ, vitam arteriæ. Interiecta est oculorum musculis pinguedo multa, ne oculi continuo motu desiccentur. Glandulæ quoque binæ: vna ad maiorem canthum prope nasum, altera ad minorem canthum. Vtiles primò lubrificando & humectãdo oculo, ne continuo motu exiccetur, vt de pinguedine dictum: deinde continendo firmiter oculo in orbita media, ne in alterutrã vergat partem. Siquidem enim teres est oculus, oualis autem orbita, necessariæ fuerunt glandulæ ad implendos hinc inde oculos. Facit quoque quæ est in maiore cantho glandula ad obturãdum meatum, qui euidenter penetrat ex oculi orbita in narem, nempe vt ne cerebri excrementa per nares influentia redundent ad oculos, vt fit in iis

quibus

quibus fiſtulę lacrymales, ab exeſa hac glandulâ: vnde ſtillant illis oculi aſſiduò. Adeſt & ſpiritus viſualis & lucidus, continenter accurrens è cerebro per neruos opticos ad viſum formandum.

Ex his intelligimus quàm firmiter hæreat capiti oculus, & quàm non pote ſit vt ſponte decidat, quacũque tandem putrefactione. Etenim antequam putruerint & nerui & tunicæ parum alioqui ad putredinem procliues, fœtor proculdubio inuaſerit, & lethaliter infecerit ſpiritus animales.

Nũc videamus quid vulgus deliret, dum credit oculum ex capite excidere poſſe. Nunquam accidit illa vulgo credita procidentia, quin præceſſerint ictus, vulnus, aut affluxus magnus, ex quibus orta inflammatione gignitur pus intra coniunctinam & corneam, quod membranas eas abrumpit & putrefacit, ita vt dehiſcentes vlcus patefaciãt: quod in oculi capacitatem penetraſſe comperitur. Sex autem muſculi, cùm ſint carnoſæ partes, facilè afficiuntur illa inflãmatione: ex qua intumeſcẽtes circa neruum opticum & ponè oculum, coarctant adeò & comprimunt oculum, vt propulſentur humores tres, & cogantur ſimul & ſemel & cum impetu perrumpere. Hi autem humores cùm ſint conſiſtentia ſua ſatis ſolidi, (cryſtallinus præſertim & albugineus, oculi figuram reprę ſentantes) vulgus putat totũ procidiſſe oculum. Humoribus ſic effuſis, membranæ tanquam diſploſa veſica aqua flatúue diſtenta deprimuntur & contrahuntur in imam orbitam: hinc ceſſante inflammatione & dolore (verè enim deſinunt paulò pòſt) adducũtur pal-

pebrę ad se inuicem vix vlla remanente oculi figura. Hinc vulgus falsò sibi persuadet oculum è capite excidisse.

Inita consultatione commemoraui apud clarissimos Doctores Medicos duos quę antè apud ægrum & DD. Roscium in ædibus & præsentia Marionis Lausannæ proposueram: iterum concludẽs sola manus operâ plenissimè sanari posse ęgrotum. Cúmque ex noua quorundam sententia sperasset æger commodè incisum iri cãcrum religatum serico, necesse habui meas contrà sæpius allatas rationes subiicere hunc in modum.

Filo serico nõ potuisse tolli cancrum.

1. Argumentum. Primùm, quòd mali radix à ligatura relinqueretur: siquidem quæ facta est morbi renouatio, liquidò constat factã esse in orbita, adeóq; altiùs ad opticum vsque neruum. Ligatura autem cùm id solum apprehendat quod prominet à palpebris, relictura est quicquid orbita continetur, sicq; irrita futura esset operatio. Etenim id quod relinquetur, illico proferet nouum fungũ, priore maligniorem.

2. Arg. Secundò: quòd fieri possit vt rumpatur vena aut arteria quæpiam importuno tempore, putà nocte: & sic æger vel exiguâ sanguinis iacturâ euestigio moriatur, cùm tanta iam sit facta profusio.

3. Arg. Tertiò: quòd ex ligatura futurus esset grauissimus dolor totis quindecim diebus & vltrà, propterea quòd coniunctiua, in qua fieret ligatio, vtpote à pericranio deducta, miro sensu sit prędita. Quo ex dolore, vt nil dicam de cerebri læsione, sequeretur humorum affluxus ingens in partem affectam. Adde quòd æger iamdudum

debilis

debilis & extenuatus hos dolores & inquietudines tolerare non poſſet.

Quartò: quòd pars oculi ſupra ligaturã, dum corrumperetur, fœtore ſuo grauiſſimo læſura foret partes principes, & ipſis adſtantibus intolerabilis futura. Relinquitur inciſio, quam ſpero à nobis tam dextrè factum iri, propitio numine, vt leuiores ſint cruciatus, & nulla aut minima hęmorrhagia. Quod ambigitur queátne morbus radicitus erui: ſpero equidẽ id factum iri. Quippe iampridem excogitaui inſtrumenta quædã, quibus oculum tutò & agiliter ab ima orbita reciſum extraham. Præterea, quantuluſcunque ille qui percipitur motus, apprehenſo tumore ficoſo nonnihil mobili, ſpem facit hunc non hærere perioſtio: cui ſi adhęreret, certè eſſet immobilis. Imò & ex eo intelligimus, reliquam eſſe aliquam pinguedinis & muſculorum ambientium portionem inter oculum & os: ex quibus operatio tantò facilior, tutior & felicior expectatur. Quoad hęmorrhagiam, ego certè nonnihil moueor, cùm ſubit animo nupera illa ſãguinis profuſio vobis notiſſima. Attamen venę in oculo tenuiſſimę non videntur largum emiſſurę ſanguinem, ſi incidantur ad baſim: & poteſt diligẽte manu inhiberi erumpens ſanguis, quem poſt tantum profluuium non eſt veriſimile multum futurum. Denique haud dubiè ex ægri metu & horrore maior pars ſanguinis recurret ad cor. Conſultiſſimum tamen fuerit extrema ligare arctiſſimè, brachia ſupra cubitum, tibias ſupra genua, ídque horę dimidio ante operationem, vt nimirũ moleſta & cõſtringente hac ligatura ſan- 4. Arg.

guis auertatur ad illas partes & procul ab iis in quibus futura operatio. Atque hoc meum est de hoc morbo eiúsque chirurgica extirpatione iudicium: vos medica videte,& de nostris iudicate,Doctores clarissimi.

Hîc Medici postquam disseruissent de morbo & medicamentis vniuersalibus, nostra omnia comprobârunt: & decreta est mali extirpatio per incisionem. Saracenus rem detulit ad ægri necessarios & amicos,quotquot aderant.Illi audito tum præsentaneæ & quidem funestissimæ mortis periculo,tum sanationis spe per oculi extirpationem, facilè assenserunt, multóque lubentiùs æger ipse magnanimus.

Tùm postquam prædixi metuenda symptomata, decreta est in proximè sequentem diem lunæ, qui in Augusti Calendas incidebat, operatio. Interea præscripta est ægro victus ratio congrua, ad reparandas vires deperditas superiore sanguinis profluuio. Pręscriptus & illi ad diem Sabbathi decimum nonum Calendas Augusti laxatiuus potus:

℞. Tamarind. electorum,
Foliorum sennæ oriental. mundat. ana ʒ ij.
Vuarum passarum mundat. ʒ j.
Epithymi. sem. anisi, fœniculi, ana ʒ S.
Cichorij, agrim. ceterach, polytrichi, ana p. j.
Fiat decoctio ad ℥ iij. in qua colatra macera
Rhabarb. elect. ʒ j. S.
Cinnamomi electi gra. 7.
In expressione dissolue syrupi violati ex 9. infusionibus &
Mannæ granatæ, ana ℥ j.

Misce:

Miſce:fiat potio.

Sequente die Dominico, & die Lunæ manè ante operationem exhibitus eſt potus cordialis ſequens:

℞. Aquarum bugloſſæ,
Violarum,
Roſarum,
Meliſſæ,ana ℥ j.
Syrupi corticum citri & de ſucco acetoſæ, ana ℥ j.
Confect. Alkermes ʒ j.
pulu.diambræ ʒ ß.

Miſce:fiat potio pro duabus doſibus.

Exteriùs ſuper corde, ante & poſt operationem, applicitum eſt ſcutum ſequens:

℞. Florum trium cordialium, ana p.ij.
meliſſæ,
maioranæ,ana M. S.
ſeminis & cortic.citri,
ſeminis ocymi,ana ʒ ij.
pulu.elect. Diamargar.frigidi,
pulu. elect.è gemmis,ana ℈ iiij.
pulu.diamoſchi dulcis &
diambræ,ana ʒ ß.
croci ℈ j.

Excipiantur goſſypio, & cum ſindone rubra fiat ſcutum interpunctum pro regione cordis.

Ante & diu poſt operationem vnctus eſt ſtomachus hoc vnguento:

℞. Cerati ſtomach. Galeni ʒ iij.
pulu.aromat.roſati ʒ j.
garyophyll.& nucis moſc.ana ʒ S.
olei nardini & maſtichini,ana ℥ S.

Fiat linimentum pro regione ſtomachi ante cibum.


Aliud vnguentum pro ſtomacho, aliquandiu applicitum poſt operationem factam:

℞. Olei maſtichini & de menta, ana ℥ S.
olei nardini & de
abſinthio Pontico, ana ʒ iij.
cerati ſtom. Gal. ʒ ij.
ladani &
olei de nuce moſch. ana ʒ. j.
pulu. arom. roſ. &
ligni Aloes, ana ℈ j.
pulu. garyophyll. &
ambræ griſeæ, ana ℈ S.

Cum cera noua q. ſ. Fiat vnguentum, quo calidè illinatur regio vẽtriculi ante cibos, bis die.

His ita preſcriptis, amici qui aderant ſtuduerunt ægrum recreare, quantum fieri potuit. At ille magnanimus & ſanitatis auidiſſimus conſtantia ſe ſua magis quàm alienis verbis ſolabatur: niſi quòd ſtato die nonnihil territus eſt D. Roſcij excuſatione per literas facta, veritus nimirum nequid ille mali præſagiret: quod tamen ita diſſimulauit, vt nonniſi ab operatione reſciri potuerit: adeò vrgebat ipſe operationem. Itaq; præmiſſis ſolẽnibus precibus pro felici ſucceſſu, & tribuenda ægro patientia ac viribus, ipſemet ſumto recente ouo & cyatho vini, cathedram accommodatam ſibi delegit & vltrò ſedit: ita vt cùm mollis quiſpiam cathedræ alligandus foret, neceſſe duntaxat habuerim adſtantium duobus brachia, tertio caput committere. Ac tùm cœpi ſub palpebra ſuperiore ad maiorem canthum, inſtru-


inſtrumento infrà figurato, quod ipſe inuene-ram & nominatim præpararam ad eam opera-tionem, lenticulari forma, ne orbita læderetur, ſed nonnihil incuruo, ſeparare coniunctinam: adactóque ferro ad opticum vſque neruũ, per-curri oculi ambitum, quę erant ſeparãda diſiun-gens: eodémque inſtrumento opticũ ſecui, tùm & eum qui ſecundæ coniugationis eſt: & tam dextrè & agiliter me geſſi, vt vix decem paſſus fierent, dum ficus ille cancroſus totam o-culi orbitam implens & in fa-ciem latè prominens intactis palpebris radicitus erutus eſt.



Nec tamen non dolorifica fuit operatio, quãtumuis dili-gens, ob coniunctinam mem-branam & neruos. Nulla ægri agitatio, niſi linguâ, cùm ter quatérue Deum inclamauit. Inieci illico copioſè puluerem noſtrum, cum album. ouorum, ad ſiſtendum ſanguinem, cu-ius vix ſtillârunt vnciæ duę: i-deóque nihil opus fuit actuali cauterio argenteo, quod pro priè pręparâram propter loci affecti nobilitatem & pręſtan-tiam.

Vide auth. tract. de Gangr. c.15.

Dein inuoluta fasciis orbita, & defensiuis ad frontem & collum circumcircà adhibitis æger ipse se abluit, & voluit ire pedibus in lectũ triginta circiter passus ab operationis loco. Nos prohibuimus, & sella detulimus. Mirum tam diuturno morbo, tanto sanguinis profluuio, æuo tam prouecto. Operationis testes fuêre qui sequuntur:



Generosus Gabriel à Blonay Baro à Chattelart,&c.

Gen.Philippus Ceriatius, Dominus à Denizy,&c.

Prudentiss. & Consultiss. Georgius Ansellus Illustriss. Dominorum Bernensium Procurator patrimonialis.

Gen. Hildebrandus Crosanus, Dominus à Prilly & Cressy,&c.

Gen.

Gen. Philibertus à Sacconay.

Venerandus Claudius Merlinus Villetanæ & Culliacenſis Eccleſ. Paſtor.

Ven. Iacobus Richardus Sauiniacenſis Eccleſiæ Paſtor.

Clariſſ. & præſtantiſſ. Ianus Antonius Saracenus M. D. & Philoſophus eximius, Regis Galliæ & Nauarræ Conſiliarius prudentiſſ.

Conſultiſſ. Nicolaus Ganthinus Luſtriacenſis Tribunus.

Conſult. Iacobus Gerbeſius Villetanus Senator.

Conſult. Franciſcus Croſeranus Luſtriacenſis Senator & Caſtellanus Corſiacenſis.

Perit. Ioannes Glaronius ægri chirurgus ordinarius.

Fideliſſ. & diligẽtiſſ. Ioachimus Rohaut Pharmacopæus Lauſannenſis.

Hon. Moſes Betheſius ægri negotiorum geſtor: & plurimi alij.

Oßiculum intra oculi ſubſtantiam repertum.

In tumore poſt operationem diſſecto inuenimus oſſiculum & mole & figura dimidiatam fabam repræſentans, vbique tuberoſum, prope minorem oculi canthum. Hîc varia iudicia. Alij in tumore natũ dixêre, quòd denſa & dura integeretur tunica, quæ mihi ſclerotica eſſe videbatur. Alij diutino defluxu carie affectum cranium cenſebant, indéque carioſum oſſiculum ſponte naturæ ſeparatum ſenſim membranam illam penetraſſe, atque illud callo deinde obductũ fuiſſe. Veri mihi ſimilius videtur, id oſſiculum è cranio illuc penetraſſe, quàm vt in ipſo tumore natum eſſet. Primùm enim ex figura euincitur, ad

orbitam oculi pertinuiſſe. Deinde materia,intra quam repertum illud eſt, inſtar atramenti nigra erat, nihílque aliud quàm ſanguinis fæx. At neceſſe eſt quod ex materia aliqua gignitur, eius colorem referre: oſſiculum autem album fuit,ac proinde non ibidem genitũ. Tertiò ex curationis progreſſu facile fuit animaduertere, è cranio illud delapſum; ſiquidem percipiebatur cicatrix nonnihil caua ad minorem canthum: qualis aſſolet,vbicunque eſt oſſis deperditio, teſte Hippocrate. *Hippocr. Sect. 6. Aph. 45.* Reſiduum tumoris duabus diuerſis ſubſtantiis conſtabat. Nam pars ea quæ extra orbitam prominebat, inſtar fæcis atramẽti fuit, ſatis denſa,forti membrana inuoluta, quam autumo ex coniunctina & cornea membranis ita coaluiſſe. Pars verò orbitâ contenta,dura fuit & ſcirrhoſa,colore liuido. Hos ego puto fuiſſe oculi muſculos,qui quidem nequaquaquam conſpici poterant agnoſcíue, vti neque membranę, quia planè occalluerant cum aliqua alia materia reſidua ex priore illa inflammatione anni 1581.

Ipſo operationis, die non eſt retectum vulnus metu hæmorrhagiæ, at poſtridie tantùm applicatum ex concerptis linamentis digeſtiuũ ſequens:

℞. Terebinth.lotæ in aqua betonicæ ℥ ij.
Gummi elemi ℥ S.
Diſſolue in olei roſacei ℥ j.
adde Vitell.ouorum nu. 2.
Croci ʒ S.
Miſce: fiat digeſtiuum.

Inſuper admoui emplaſtrum baſilicum. Inunxi totum caput & collum oleo myrtil. & roſato;

fronti

fronti & collo defensiuum applicui: nec aliter processi, quoad facta esset vulneris digestio. Sequenti die Saracenus relicto lõgiore scripto, in quo victus ratio tum in rem præsentem tum etiam in futurum conueniens tradebatur, domum repetens mihi rem omnem commendauit. Ego sex diebus continuaui digestiuum & basilicum|: exin digesto vulnere, pro digestiuo adhibui mundificatiuum sequens:

℞. Terebinth. lotæ in aqua betonicæ ℥ ij.
gummi elemi dissol. in oleo rosac. ℥ S.
radic. Aristol. rotundæ,
iridis Flor. ana ʒ ij.
cum melle rosaceo, fiat mundificatiuum.

Tùm applicui emplastrum de betonica, eóque ipso incarnaui vulnus: cicatricẽ induxi puluere sicco, ex cerussa, lithargyro, cornu cerui vsto, alumine & radicibus iridis, & superinducto empl. diapalma. Victus rationem æger adeò accuratè & lubens obseruauit, vt supra decimum quartum diem vino sibi temperarit, contentus ptissana cui adiectum erat paucũ coriandrũ pręparatum, aut etiam oxysacchare cui inter parandum indebatur tantillum cinnamomi. Atque sic adductis tandem concinnè palpebris, à fico cancroso eiúsque omnibus symptomatis vir genere & virtute, imprimis verò pietate, nobilissimus persanatus est.

Porrò cùm locus multum diúque affectus, ac proin debilis, vt plurimùm obnoxius sit defluxionib. à valentioribus partibus transmissis, ideò, vt ne deinceps noui exorirẽtur in facie affectus aut in parte nuperrimè sanata, author ægro

ſui vt clauderetur vlcus cauterio excitatum in brachio dextro, quod progreſſu temporis inferiùs deſcenderat & circum circà calloſum euaſerat, & nouum applicui ſuperiùs ac propius venam cephalicam, 22. Auguſti. Porrò in eundem vſum & ad maiorem præcautionem ſuaſi ſetaceum ad ceruicem traiici legitimo loco, qui eſt à prima vertebra ad tertiam, nec inferiùs. Adhibitum quidem fuerat anno 81 ineũte morbo, ſed malè ad ſextam ceruicis vertebram, vbi eminentiores ſunt nerui, quàm ſuperiùs ad caput: hinc acutiſſimus dolor ob quem ab eo excitatum vlcus poſt menſem claudendum fuerat. Ille conſilium noſtrum admiſit, & conſultus Saracenus literis in eandem ſententiam ſcriptis confirmauit.

Setaceo locus opportunus.

In omnibus autem doloribus cùm maximè abhorreret ęger à ferro candente, voluit ſetaceũ adhiberi ad eum modũ, quem Coloniæ & Lauſannę ſæpius ſeruaui, necnon etiam Luſtriæ paucis antè diebus in filiolo Ioannis Glaronij. Prehenſa tenaculis cute, pro ferrea acu cãdente adhibeo argenteam frigidam, eámque ancipitẽ: hac perforo quod tenetur tenaculis. Tũ primo apparatu applico albumen oui, ſecundo digeſtiuum, dum digeratur vulnus, tandem quæ vulgo adhiberi ſolent. At hîc rei nouitas de more ſuſpecta, ſuis confirmanda eſt argumentis. Quod vt fiat, ante omnia expendendę duæ primariæ actiones & qualitates quas inurit cãdens ferrum: dein videndum ánne ſint propoſito noſtro accommodæ. Ferri candentis actio & qualitas prima eſt deſiccatio, quę quidem fit ratione qualitatis

Setacei adhibendi noua ratio.

tatis calidæ & ſiccæ, quam ignis elementum ferro imprimit. Hinc altera, merum tamen prioris accidens: corroboratio videlicet partis quam afficit, eò quòd humiditas excrementitia candente ferro deſiccata ſit. Vt enim humiditas nimia emollit, laxat, ſtupefacit & ineptas reddit partes ad ſuas functiones; ſic temperata ſiccitas cõtrarium potis eſt efficere. Iam diſquiramus, num actiones & qualitates iſtę ſint ad inſtitutum noſtrum. Siquidem adhibetur ſetaceus funiculus loco ſano ad deriuandum ac reuellendum humorem quemlibet, nil opus locum ſanum deſiccari aut roborari. Nam ſi velim ſetaceum ad ſe illicere humorem ex parte affecta, non modò non exiccandus eſt locus cui applicatur, ſed contrà humectandus: quippe conſtat ſicca non attrahere, niſi priùs aliquantum mollita. Præterea quoniam corporum noſtrorum ſiccitas accidentalis conſtringit & comprimit partes, hæc eadem humiditates parte illa contentas ſimul exprimit & depellit in partes debiles, illis excipiendis opportunas. Alter ferri candentis vſus, quem diximus, eſt corroboratio partis cui applicatur. Hæc rurſus malè conuenit loco in quem deducendi humores. Poſtquam n. corroborata eſt actuali cauterio, tantum abeſt vt attrahat, vt contrà propulſatura ſit quod influebat. Ex his colligimus in defluxionibus, catarrhis, & imbecillitate viſus & faciei partium, nec deſiccanda, nec roboranda eſſe ſetacei vel cauterij loca, ceruicem & brachia: imò contrà roborandum locum dolentem, & debilitandum eum in quem deriuandus eſt affluxus. Setaceus

verò funiculus nostro modo adhibitus his actionibus vacat. Neque n. desiccat, cùm absit calor: nec roborat, imò debilitat potiùs, cùm soluatur continuitas. Tertiò denique in eius applicatione non mihi probatur vsus ferri candentis ob phantasiam & horrorem, quem plerique omnes ex eo concipiunt. Age n. quot homines ex sola phantasia in grauissimos morbos incidunt, febrim, syncopas, epilepsiam, apoplexiā, &c. adeò vt sint nonnulli quos citiùs ad prælium adigas, quàm vt ferro candenti sese permittant? Dolor non maior, quàm in phlebotomia: nisi quum fit digestio. Sed quid hoc respectu doloris ex cauterio?

Opinio propria de potentiali cauterio in ceruice.

Cæterùm quia pro setaceo adhibetur nonnunquam potentiale cauterium eodem loco, iuuat peculiari nostra de hoc cauterio opinione totum hunc tractatum claudere. Infantulis præscribunt Practici cauterium hoc pro setaceo; quòd tolerabilius credant & minus dolorificum. Ego contrà dissuadeo plurimùm, & commendo setaceum. Primùm, quòd cùm sint pueri agiles & turbulenti, subinde excidat à vulnere pisum, siue aliud tale quod vlceri inditur: hoc sublato statim coalescit vlcus, vt difficilè possit apertum teneri ea parte, vti decet, & ita nulla sit eius vtilitas. Hæc vt corrigas duo, necesse est arctissimè ligare vinculo stricto caput in … figuram; necesse item ad continendum in vlcere globulum duplicatum linteum imponere, vt formetur vlcus altiùs: nam in summa cute parum purgabit. At ex hac ligatura ecce maius incommodum. Nam cùm puerulis ossa, imprimis verò

1. Ratio cur pueris non sit potentiale cauteriū ad ceruicem, sed setaceum potiùs applicandū.

2. Ratio.

rò cranium ſit tenerum & cartilaginoſum, id ligatura ſic comprimitur, vt nihilo magis poſſit in latitudinem creſcere, quàm cucurbitæ, quas ſolent mulieres ad lagenarum vſum in medio ligare dum creſcunt: in altitudinem verò totum excreſcit. Inde perit capiti (vt vidi in pluribus) ſua portio & rotunditas in longitudinem educta. Et, quod grauiſſimum, cranio ita monſtroſè educto in tranſuerſum, cerebrum eiúſque ventriculi ſimul etiam arctãtur & comprimuntur: vnde, ſpiritibus non ſatis elaboratis & præparatis, debilitatur caput & fit catarrhis obnoxium: & ſi adoleſcant (quod rarum) ingenio ſunt tardiore, niſi maturè omiſſa ligatura dilatatum ſit cranium, & natiuæ formæ redditum. His ego rationibus ſtatuo nil iuuari cauterio iſto pueros, imò contrà moroſos effici. Compreſſo ſic cerebro, quę pars corporis humidiſſima, coguntur excrementitij humores, qui inibi aſſiduò oriuntur, vi quadam erumpere: vnde cùm non detur tempus quærendo naturali meatui, modò in dentes, modò in ſtomachum, modò in pulmones aliáue loca incidunt. Quod cùm citra dolorem nequeat fieri, eò redduntur pueri moroſiores, quòd defluxus in partes neruoſas incurrat. 3. Ratio.

Setacei noſtri dolor cùm ex iis quæ ſuprà dixi [illegible] eſt, tũ tolerabilior in loco extimo, quàm graue partis intimæ & quidem nobiliſſimæ, cerebri videlicet, incommodum: necnon vtilis ille ad attrahendos magis magiſque humores ſuperfluos à cerebro ad colli emunctoria.



OBSERVATIO II.

Ex globulo vitreo in auris meatum immiſſo grauiſsima ſymptomata, tandem curata. Ubi de diſtributione neruorum quintæ coniugationis cerebri, ad Clariſsimum & doctiſsimum Caſparem Bauhinum M. D. & Anatomicæ iuxta ac Botanicæ Profeſſorem ordinarium in Academia, Baſilienſi. S. P.



ATEOR accepiſſe me iampridem, Vir clariſſime, tuas literas quæ inſignem tuam erga me beneuolentiam teſtantur: ſed quòd hactenus ſilui, id ne obliuioni, ſed plurimis ſubinde recurrentibus negotiis tribuas velim. De obſeruatione autem Anatomica, quam à me expectaſti, ſic habeto. Omnino neruorum quintæ coniugationis cerebri diſtributio multò amplior eſt, quàm hactenus apud Anatomicos legere meminerim. Etenim cumprimùm neruus ille à laterali parte cerebri exoritur, ingreditur foramen cæcum ſiue labyrinthum, diſtentúſque membranam tympanum format. E foramine cæco mox egreditur ramulus minor eo qui ingreſſus eſt, verſus ſpinalem medullam tendens: perinde ac ſi cum neruo ſextæ coniugationis tenderet ad partes infimas. Sed mox emittit rurſus ramulos per primam & ſecundam vertebram, qui inſeruntur laryngis muſculis. Argumento eſt ex immodicè & ni-

& nimis altè aut profundè titillatis auribus ſicca ſubitò exoriens tuſſicula. Mittit tertiò ſuos ramulos cum quarto, quinto, & ſexto brachium mouentibus neruis ad brachia & digitos: nec deſerit vſquam neruus ille ſpinalem medullam, ſed continenter emittit ramulos cum neruis ſpinalis medullæ ad ipſa vſque crurum & pedum extrema. Hæc ſuper diſtributione neruorum quintæ coniugationis cerebri, Vir clariſſime, in diuerſis diſſectionibus ſuperiore hyeme obſeruaui: quæ ipſa cùm ſint paulò obſcuriora, ſequẽtis hiſtoriæ narratione & fide illuſtrabo.

Roſæ filiæ quondam Roberti Chaperonis annos 10. natæ verno tempore ſui ſimilibus colludenti inſinuatus fuerat in concauum auris ſiniſtræ globulus vitreus inſtar piſi, cuiuſmodi puerorum carpis pro brachialib. accommodantur. Admonita mater chirurgum aduocat, qui globulum extraheret: fruſtra. Venit & alter, tertius item & quartus, diuerſis tamen temporibus: ex his nemo iuuit, quinimo altiùs inſinuatus eſt ab illis globulus. Exin deſperauit mater de extractione: & quamuis caſum filiæ doloribus aſſiduis conflictatæ ægrè ferebat, Dei tamen & naturæ arbitrio permittendum ſtatuit. Poſtmodùm ſedatus quidem eſt auris dolor: ſed tota pars illa capitis vſque ad futuram rectam noctè diéq; doluit, plus tamen minúſve pro aëris conſtitutione: cœlo maximè humido ac pluuioſo, quale eſt hyeme & autumno, cruciatus vrgebant. Accidebant præterea læuo brachio quaſi ſtupores vſque ad digitos pollicem & indicem, progredientes ad lumbos vſque, tibiam & pe-

dem: &, vt paucis dicam, totum latus ſiniſtrum continuis iis ceu ſtuporibus languebat. Tranſmutati ſunt poſtea torpores in dolores grauiſſimos brachij, humeri & cruris: ídque, vti dictum, noctu & aëre frigido & humido. Tuſſicula ſicca aſſiduò aderat. Menſtrua ex parte ſupprimebãtur, & nonniſi ſemel ſingulis trimeſtribus, aut parum fluebant. Cùm annis quatuor aut quinque ſic doleret, acciderunt interdum epilepticæ conuulſiones: ipſum quoque brachium in atrophiam incidit. Videns mater tam dira ſymptomata, varios adhibuit medicos, chirurgos & empiricos: & cùm nullus auris dolor adeſſet (quippe maximi dolores obſcurabant minimũ): de ſymptomatis tantùm querebatur, omiſſa primaria morbi cauſa. Nequicquã autẽ hęc omnia: neque enim intermittebant dolores, aut ſymptoma vllum, imò augeſcebant. Tandem adiit me anno 1595 menſe Nouembri. Purgaui ipſam aliquoties: inunxi pręterea humerum, brachiũ, & reliquas partes dolentes oleis anodynis & calidis: breuiter, quæcunque neceſſaria ad hunc morbum videbantur, adhibui: fruſtrà tamen, vt priores. Cùm viderem morbum repugnare omnibus idoneis remediis, deſperabam de ſalute. Latebat enim me iſtius morbi cauſa, niſi fortean ex catarrho foret. Interim cogitanti quid meliùs adhibere poſſem, ipſa necopina cœpit recitare caſum: nempe quòd ſibi ante octo annos globulus in aurem demiſſus eſſet. Hæc ego audiens, cœpi cogitare eam eſſe morbi cauſam. Et quamuis illa valde repugnaret operationi, propter ſuperiorum chirurgorum irritos conatus in recente

recente morbo, tandem tamen paruit. Tùm ego feliciter extraxi globulum ſine vi vlla, quamuis profundiùs, prope tympanum videlicet, excrementis & ſordibus auris firmiſſimè hærentem. Ceſſarunt illicò dolores capitis, reliquarúmque partium corporis: & ſubſequente nocte meliuſculè habuit: ſicque paulatim leui inunctione olei lumbricorum reſtituta fuit. Ceſſarũt inquam dolores, ſtupores, conuulſiones epilepticæ, reliquáque omnia ſymptomata. Reſtitutum eſt brachium, ita vt hactenus bene ſe habeat. Teſtes clariſſimi ac doctiſſimi, Ianus Antonius Saracenus, Andreas Bonetus Medicinæ & Philoſophiæ doctores: Antonius Macæ pharmacopæus: quorum penes me chirographa.



OBSERVATIO. III.

Inciſo & perforato cranio dura mater vbique cranio firmißimè adhærere inuenta.


DVRA mater caluariæ connectitur ſuturarum ope, tum vt penſile & erectum teneat cerebrum, tum etiam vt per ſuturas egreſſa pericranium procreet. Spaciũ verò inter ſuturas rectè natura liberum reliquit, vt vacuum quoddam eſſet inter duram matrem & caluariam: has nimirum ob cauſas. Primò, ne quicquam ipſius cerebri ſyſtolæ & diaſtolæ obſtaret. Secundò, ne venæ &

arteriæ per extremam duræ matris partem ſparſæ, leui aliquo ictu in cranio facto rumperentur. Poſtremò, vt ruptis in dura matre venis ſanguis non inter duram & piam matrem, ſed inter duram matrem & cranium effunderetur, & perforato cranio faciliùs extraheretur. Hic eſt ordinarius naturæ ordo: nos contrarium in vno atque altero obſeruauimus, vt ex ſequentibus liquet.

Puerum quadrimum ex phthiſi mortuum priuatim cum quibuſdam Medicinæ ſtudioſis anno 1596 diſſecaui. Huic dura mater vbique inſtar perioſtij vitreæ tabulæ adhærens neutiquam auelli potuit, niſi priùs incocto in aqua cranio. Itaque venæ quæ alioquin per externam partem duræ matris quæ cranium reſpicit, (duplicem n. duram matrem cum Realdo Columbo aſſero) expanduntur, illæ in parte interna verſus cerebrum conſpiciebantur. Erat nihilominus vacuum aliquod inter duram & piam matrem: hæc enim cerebro adhærebat, illa cranio. Plagas & contuſiones in huiuſmodi caluariis maximè periculoſas eſſe nemo dubitat, tum quòd membranæ cerebri facillimè læduntur, tum etiam quòd earum ruptis venis, ſanguis inter cerebrũ & duram meningem effunditur. Venæ enim, vt dictum eſt, in interna parte duræ matris ſitæ ſunt: ita vt nullo modo ſanguis extrauenatus euacuari poſſit, quamuis cranium terebello perforetur, vt ex ſequente hiſtoria liquet.

Ruſticus in pago Geneuæ proximo Cheſne dicto vulnus circa dextrum os bregmatis baculo accepit: mox in terram cecidit: vomuit, & lo-

quelam amisit. Neglecto primùm morbo, tandem octauo pòst die vocatus sum vnà cum clarissimo Iano Antonio Saraceno. Inuenimus ipsum febricitantem & delirantem, lingua arida, oculis rubicundis. Cùm a. nec rima, nec fractura appareret, cranium perforaui. Nihil inueni vacuum: sed dura mater ita adhærebat cranio, vt styli acies inter cranium & duram matrem minimè posset immitti. Vnde cùm nihil puris extillaret, perforatio inutilis fuit: ipse decimo quarto pòst die è viuis excessit. Quandiu dura mater retecta fuit, nempe ab octauo die vsque ad supremum, motus cerebri quantumuis continuus minimè percipiebatur: verùm ea fuit distantia inter cerebrum & duram matrem, vt pulsus cerebri membranam non attingeret. Hinc perspicuum fit cerebrum moueri, non autem ipsius membranas vti volunt nonnulli.




OBSERVATIO IIII.

Mirabilis distributio venarum & arteriarum iugularium internarum.



NNO 1596 rogatus à quibusdam Medicinæ studiosis, priuatim illis dissecui caput detruncatum. Inueni distributionem venarum iugularium & arteriarum carotidum internarum obseruatu dignissimam. Quoniam maior pars earum venarum & arteriarum quæ

per duram & piam matres ſparguntur ab vtraque capitis parte, immiſſis ramulis quibuſdam ad venam torcular dictam conſtituēdam, in vertice ſibi inuicem coniungebantur, & conſtituebant prope ſuturam rectam vas capacitate exæquans pennam cygni, quod tum dura, tum pia matre obuolutū erat. Huius extremitas vna cerebri ſubſtantiam reſpiciebat, nullis interiectis membranis: altera cranio tam firmiter adhærebat, vt nonniſi vi auelli potuerit. Præterea cranium in ea parte vix papyrum craſſitie æquabat, vbique inſtar oſſis cribroſi perforatum. Cutis quæ extra cranium ſpiraculum ſeu caminum illū cooperiebat, flauens fuit. Hominis robuſtiſſimi caput vix vnquam dolore affectum crediderim: ita vt proculdubio ad decrepitum ſenium peruenturus fuiſſet, niſi præueniſſet eum violenta mors.



OBSERVATIO. V.

Monſtroſus hydrocephalos.




IN rarò cōtingentibus bene hydrocephalos cenſetur: nobis in vno & altero videre contigit. Coloniæ in vico Erenſtras multoties inuiſi puerum robuſtiſſimis parentibus natum, cui caput in incredibilem molem excreuerat: ita vt ipſius rotunditas vlnam & quartam partem vlnæ Colonienſis, eiuſdémque altitudo ab vna aure ad

alteram

alteram ſimiliter vlnam cum quarta parte excederet. Non autem ſic natus erat:ſed cùm ſeptimum menſem ætatis vix attigiſſet, cœperat ei caput monſtroſè excreſcere. Nullus præceſſerat morbus:reliquum tamen corpus parum nutriebatur. Verùm caput intra menſes 30.paulatim in illam magnitudinem accreuit: ac tandem puer in ſoporem lethargicum incidit, nec ita multò pòſt obiit,anno 1594. 19.Februarij.Cranio diſſecto coram clariſſimis doctiſſimiſque Ioanne Slotano & Henrico Pallantio Medicinæ doctoribus, inuenimus in duobus anterioribus cerebri ventriculis aquam cryſtallo clariorem,ad libras Colonienſes 18. Illa autem non ſolùm ventriculos,ſed & ſubſtantiam cerebri diſtendebat: ita vt totum cerebrum (cerebellum excipio) in ſacculum extenderetur: hinc fiebat vt circumuolutiones & gyri cerebri non conſpicerentur, ſed turgerent omnia. Dura & pia matres integræ erant, atque ita dilatatæ vt totum cerebrum cooperirent. Cranium ſimiliter dilatatum erat, ſed paſſim mēbranoſum potiùs quàm oſſeum. Id adhuc in muſæo meo viſitur. Tertius ventriculus cum duobus anterioribus confuſus non apparebat. In quarto viſcidam quandam materiam, parua tamen quantitate, inuenimus: reliqua in cerebri baſi ſecundum naturā erant: nec reperiebātur meatus per quos ſeroſus ille humor ad caput delatus fuerat, quantumuis accuratè diſpiceremus omnia. Denique cor,pulmo,diaphragma, hepar, ſtomachus, meſenterium,lien,renes,perquam ſana erant. Quapropter functiones vitales & naturales eo ægro-

tante, parum lædebãtur: ita vt vix febre vnquam laborauerit: quinimo edebat, bibebat, excernebat & dormiebat tanquam sanus: ipsa tantùm deerat nutricatio. Totum enim corpus (excepto capite) perexiguum & extenuatum remansit: vt patet ex effigie, quam ad viuum domi habeo. Actionibus autem animalibus & facultatibus quæ ex cerebro prodeunt, putà ingenio, loquela, visu, auditu & cæteris planè destitutus fuit. Brachia etiam & tibias, labia, palpebras, oculos voluntariè vix mouebat, at inuolũtariè sæpius: hoc est, contrahebantur & conuellebantur continuò: attamen absque dolore.

Cognoui & alium puerum Coloniæ hydrocephalo laborantem, qui ex omni parte sanus permansit vsque ad tertium annum ætatis: tùm demum cœpit ipsi caput accrescere, verùm non in tantam molem. Obiit tandem ex variolis. Aperto cranio inuentá est aqua multa in duobus anterioribus cerebri ventriculis.



OBSERVATIO VI.

Commotio cerebri in principio neglecta, postmodùm grauißimorum symptomatum causa fuit.



FILIUS Domini Bernardi ab Hatzuelt Domini in VVildẽberg decẽnis ex alto cecidit: mox vomuit: sanguinémque per nares & aures egessit:

ſit: verùm neque loquelam, neque ſenſum aut motum amiſit. Cùm autem nec vulnus, nec contuſio aliqua extima appareret, nec febricitaret ipſe, morbus planè neglectus eſt, nec vllum initio adhibitum remedium, capite alioqui perpetuò dolente. Poſt menſes quinque aut ſex collum relaxatum eſt, adeò vt nullo modo caput erigere, aut erectum, niſi beneficio numellæ ex pelle & xylo contextæ, continere poſſet. Poſtmodum aſthmaticus factus eſt, & relaxatis ligamentis 10. 11. 12. vertebrarum metaphreni, gibboſus factus eſt. Coxam quoque dextrâ imbecilliùs mouebat: ſub clauiculis exutráq; ſterni parte atheromata conſpiciebantur. Cùm circiter biennium ita cruciatus fuiſſet, & ſymptomata in peius euaderent, parentes ipſum Coloniam ad clariſſimam Dominum Henricum Botterum Illuſtriſſimi Heſſiæ Lantgrauij archiatrum adduxerunt, qui variis adhibitis remediis collum in integrum, vocémque & loquelam ex parte reſtituit. Deinde exortus eſt ipſi tumor ad ſiniſtram aurem inter iugulares venas & arteriam aſperam, qui ſenſim in maximum abſceſſum auctus cùm eſſet incidendus, aliáque chirurgica peragenda, accerſitus fui. Primo, 2. & 3. diebus vltra libras ſex materiæ eiecit, extillauítque ea quotidie copia ſatis magna. Huius euacuationis beneficio dolor capitis omniáque ferè ſymptomata ex parte lenita ſunt: at vires in dies imminutæ. Circa 28 menſis Martij nouus incidit catarrhus, qui in pulmonem & ſtomachum influens, tuſſim, nauſeam & vomitum prouocauit, ſiniſtrum latus reſolutum fuit. Nonnulli

quoque paroxyſmi epileptici acciderunt, & vlcus in collo penitus exiccatum eſt, ita vt 6. Aprilis 1593 deceſſerit.

Præſentibus clariſſimis viris Ioanne Slotano & Henrico Pallantio Medicinæ DD. cadauere inciſo viſcera ſic affecta comperimus.

1. Inciſa cuti in tumoribus ſub clauiculis reperta eſt copia ſatis magna puris inſtar pultis, quæ coſtis & ſterno cariem contraxerat.

2. Cyſtis fellis prægrandis, & inteſtinũ duodenum vbique humore bilioſo refertum.

3. Hepar ſcirrhoſum & obſtructum.

4. Pulmo vbique pituitoſis & viſcidis humoribus oppletus.


5. Lapides quamplurimi ex gypſea materia concreti & cyſti incluſi proximè cor, nimirum in ea parte, qua arteria aorta ex corde prodit, & ramos ſuos verſus iugulum mittit: quorum vnus magnitudinem nucis ſuperabat: reliqui parui. Adhærebant autẽ non tantùm arteriæ aortæ & ipſius ramis qui iugulum petunt, verumetiam aſperæ arteriæ, & ſiniſtro recurrenti neruo. Ex quibus facilè colligitur, quibus cauſis vocem & loquelam ex parte amiſiſſet.

6. Capite aperto lapidem ex ſimili materia concretum & membrana incluſum in poſteriore parte capitis ſub ſutura lambdoide inter duram & piam matrem inuenimus adeò adhærentem duræ matri, vt nonniſi violenter auelli poſſet.

7. In tribus cerebri ventriculis, hoc eſt, in duobus anticis & medio, vltra libras duas aquæ limpidæ reperimus.

8. Vl-

8. Vlcus in collo tum ad aſperam arteriam, tum etiam ad os baſilare, & foramen quo ſpinalis medulla vertebras ingreditur, penetrabat: ita vt materia ex vlcere manãs tum ex pectore, tum ex capite confluxiſſe intelligeretur. Verùm propter anguſtias viarum ſubtilior pars effluxerat; craſſa autem in lapides concreta erat, quales prope cor viſebantur.



OBSERVATIO VII.

Cerebri concußiones & quidem grauißimæ curatæ.




COMMOTIO cerebri rectè in morbis acutis numeratur: verùm initio adhibitis idoneis remediis multoties curata tum ex doctorum virorum ſcriptis, tum ex ſequentibus obſeruationibus intelligitur.

1. Equiſo generoſi viri Domini Herft ſatrapæ in Lunſdorf Duſſeldorpiæ ad dextram partem capitis percuſſus in terrã concidit, euomuit: mox loquelam amiſit, & cruorem per nares & aures eiecit. Eum ad diuerſorium delatum Coſmus Slotanus Illuſtriſſimi Iuliacenſium, Cliuenſium, &c. Principis archichirurgus adhibitus variis remediis ſanauit: loquela quoque & mens amiſſa paucis pòſt diebus illi rediit.

2. Herman Kikup venator generoſi Domini à Velbruch in Garrad ex arbore in congela-

tam terram lapſus mox euomuit, & ſanguinem per nares, aures & palatum eiecit, loquelam amiſit: fuitque ad vndecimum fere ſine ſenſu & motu quaſi apoplecticus, febricitans vehementer. Vocatus crines abraſi: & caput oleo roſaceo & myrtillorum inunxi, venam brachij ſecui: clyſteres acres inieci, aliáque quamplurima remedia adhibui, quæ hîc breuitati ſtudens omitto. Tandem diuino fauore & mea diligentia ſtupẽtibus ſpectatoribus conualuit.

3. Puerum grauiſſima cerebri concuſſione laborantem cum peritiſſimo chirurgo Ioanne Griffonio curaui. Variis remediis capiti additis, exortus eſt tandem tumor inſignis ſub aure, quo inciſo maxima puris & ſanguinis coagulati copia effluxit, atque ſic puer conualuit.



OBSERVATIO VIII.

Læſo cerebro, aut etiam portiuncula eius amiſſa, non ex neceßitate mortem conſequi.



PVTANT nonnulli cerebro læſo aut etiã ipſius tunicis mortem neceſſariò conſequi, ex Hippocratis authoritate, qui ſic ſcriptum reliquit: veſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut ſepto tranſuerſo, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale eſt. Sed hoc (lethale) teſte Galeno Hippocrates aliâs vſurpauit, ceu mortem neceſſariam inferens, aliâs ceu pericu-

Hippocr. Aphor. 18. ſect. 6.

riculoſum. Cerebri certè quidem vulnus, niſi profundum & ad ventriculos vſque penetrans, non ex neceſſitate mortem inferre teſtatur Galenus, commentario ad ſuperiorem illum aphor. id quod & nobis ſæpius obſeruare contigit.


Ante annos decem & ampliùs cùm darem operam prædicto præſtantiſſimo Archichirurgo Coſmo Slotano, miſſus ab eo in oppidum Langemberg 8. Septembris 1581. vt ibi curarem varios ægrotos, vocatus fui à quodam ruſtico Ioãne Horſtman prope Hattingen, vt ipſius inuiſerem ſororem, quæ vulnus contuſum in dextro oſſe bregmatis cum fractura & impreſſione cranij acceperat. Euomuit mox ab initio bilioſum humorem & cibum indigeſtum, ſiniſtrum latus reſolutum eſt: in dextro autem conuulſiones patiebatur. Abraſis crinibus fragmenta aliqua cranij & portiunculam adinſtar fabæ ex cerebri ſubſtantia digitis extraxi. Altero die aduenit Slotanus, qui dilatato vulnere denuo extrahit fragmenta quædam oſſis & portiunculam ipſius cerebri ad nucis auellanæ magnitudinem. Poſteà aliquoties ipſemet Slotanus me præſente de cerebri ſubſtantia detraxit: & tamen conualuit pléniſſimè.

Anno 1596 acceſſit ad me puella cum inſigni tumore ad dextram ſincipitis partẽ, in concurſu ſuturæ rectæ & coronalis. Cauſam exquirenti reſpondit ſe ante ſex hebdomadas in lapidem impegiſſe. At cùm nec vomitus, nec dolor febriſve adfuiſſet aut adeſſet, non ſuſpicabar craniũ, multò minùs cerebrũ, læſum fuiſſe. Tumotamẽ reinciſo maxima effluxit puris quantitas;

poſtea ſtylo deprehendi inſignem cranij fractu- ram : vnde ſubeſſe periculum animaduertens, Medicũ accerſendũ ſuaſi. Perendie cùm aduo- catus eſſet clariſſimus D. Ianus Antonius Sara- cenus, cutem decuſſaui, extraxique fragmenta quamplurima cranij: ita vt cerebrum ad thaleri latitudinem denudatum conſpiceretur. Tunicæ enim planè corruptæ erant: quarum particulas quaſdam præſente medico Saraceno extraxi. Tribus hebdomadibus ferme quotidie portio- nes aliquas ex cerebri ſubſtantia abſtuli, natura ipſa expellente: ita vt pars illa valde concaua cõ- ſpiceretur. Nihilominùs tamen cerebri motus egregiè apparebat: vt de cerebri motu nihil quicquam dubitandum ſit. Mouetur enim cere- brum, non membranæ tantùm. Tandem verò e- xortæ ſunt ex ipſo cerebro denudato & carente membranis tubercula carnoſa lentium inſtar, quæ ſenſim aucta ſe inuicem coniungebant, & tegumẽtum carnoſum & ſatis ſolidum procrea- bant, cuius beneficio concauitas impleta & ce- rebrum tectum fuit: ſicque priſtinam ſanitatem puella breuî recuperatura videbatur. Nihilomi- nùs cùm aliò me negotia vocarent, neglecta, vt veriſimile eſt, curatione, ipſam poſt ſemeſtre obiiſſe intellexi. Sed illud notandum, quandiu illam curaui nullum ſuperueniſſe dolorem, fe- brim, aliúdve ſymptoma: ita vt domeſtica ſua curaret, quaſi plenè valens, ſtupentibus omni- bus iis qui curationi interdum intererant. In quibus præcipuè clariſſimi viri Ianus Antonius Saracenus Medicus & Philoſophus eximius: A- mandus Polanus SS. Theologiæ Doctor, & Do-
minus

minus Georgius Ienischius illustrissimi VVencesslai à Zerotin medicus: præterea Antonius Macæus pharmacopæus, & multi alij, qui non immeritò illius casus admiratione tenebantur.

Dum hæc curabatur, vocatus fui vnà cum clarissimo Domino Iano Antonio Saraceno in Sabaudiæ vicum quendam ad rusticum, qui exigui vulneris contusi occasione supra dextrũ os bregmatis maxima fractura cranij laborabat: vnde febriebat vehementer, & delirabat, sinistro simul latere resoluto, Cute ad Y figurã iuxta cranij fracturã incisa, statim tria fragmẽta ossis satis magna digitis extraxi. Inueni quoque in vulnere portionem cerebri ad nucis magnitudinem. Chirurgus eius prior (agebatur n. quintus dies) cùm id vidisset, aiebat se desperare de salute. Verùm admonitus cerebri vulnera interdum curari, nobis promisit summam se adhibiturum diligentiam. Nos omnia ad morbum & symptomata eius præcepimus. Cessauit febris, & delirium: latus paralysi laborans restitutum fuit. Verùm cùm reliqua fragmenta cranij essent extrahenda, & chirurgus ipsius propter imperitiam id negligeret, post hebdomadas aliquot in febrim aliáque symptomata recidit, & paucis pòst diebus è vita decessit, adeóque meræ suæ negligentiæ pœnas luit. Si enim fragmenta ossis, vti decuit, extracta fuissent, proculdubio plenissimè sanus euasisset.




OBSERVATIO IX.

Ex hydrope neruorum opticorum obstructio: idémque hydrops maxima hæmorrhagia narium curatus.



LEVTGEN à Thenhausen prope Hildẽ homo robustissimus & sanguineus annum agens tricesimum incidit in leucophlegmatiam maximam, ita vt à vertice vsque ad pedes intumuerit. Inde obstructi sunt nerui optici, & sensim cæcus factus est. Ad eum curandũ cùm essem vocatus vnâ cum clarissimo doctissimóque Domino Ioãne Slotano medico Doctore, vtrique nostrûm visum est imprimis curandũ esse hydropem, ceu morbum primarium & causam cæcitatis. Curatio apozematis aperientibus & præparantibus, necnon catharticis lenitiuis inchoata fuit. Sed antequàm valẽtiora exhiberemus, accreuit hæmorrhagia ex nare dextra, atque adeò magna, vt subitò vltra libras 4 eiecerit: vnde in syncopem æger incidit. Vocatus inueni ipsum semianimẽ: sanguine tamen suppresso non tantùm vires restauratæ sunt, verumetiam ab hydrope, citra vllorum aliorum remediorum vsum, breuî curatus est æger. Sed propterea quòd dehinc remedia omnia respuit, à cæ citate non penitùs liberatus biennio post ex febri continua decessit.

OB-




OBSERVATIO X.

Ex sternutatione neruorum opticorum obstructio, & ex hac cæcitas consequuta.



ADOLESCENS 14 annos natus & phlegmatici habitus cũ æquali spõsionẽ fecit, posse se sternutare ad libitum, imò etiam centies. Deposito pignore cœpit ex immodica titillatione irritatis naribus sternutare circiter centies & ampliùs. Exin protinus correptus est dolore capitis & hebetatione visus, qui etiam sequenti die deperditus fuit, citra tamẽ inflammationem oculorum, aut febrim. Conuocatis mecum clarissimis doctissimísque viris Iano Antonio Saraceno & Andrea Boneto, decretum est vt purgato corpore setaceum adhiberetur collo, vti & scapulis cucurbitulæ: atque his vsus reuulsionibus visum paucos pòst dies recepit. Hinc apparet quãtum hallucinẽtur, qui in neruorum obstructione aliísque morbis oculorum errhina & sternutatoria præcipiunt & adhibent. Materia enim quæ à vehementi motu ex cerebri ventriculis ad nares trahitur, & circa os cribrosum accumulatur, transiens prope neruos opticos, ratione propinquitatis eos magis magísque obstruit. Obiicitur, purgationẽ vniuersalem præmittendam errhinis: sed nunquam ita possit exonerari cerebrum, quin tantum materiæ supersit, quantum ad hanc exiguam neruorum opticorum capacitatem obstruendam satis sit.



OBSERVATIO XI.

Adolescens oculo perforato visum recepit.




QVINDECIM annorum adolescentem sutoris filium Geneuæ in vico diuæ Mariæ cum domino Ioanne Griffonio curaui, circa annũ 1587, cui acus sutoria perforauerat adnatam prope Iridem: hinc factũ vt humor aqueus statim effluxerit, & adolescens illico visum planè amiserit. Oculo imposui in primo apparatu albumen oui cum aqua rosacea, & nonnihil croci: fronti autem defensiuum ex bolo Armenia, terra sigillata cum oleo rosaceo, paucáque cera & aceto in formam vnguenti redactum, inieciqué statim enema. Sequenti die catharticum exhibui, & anodynis ad septimũ vsque & ampliùs vulnus tractaui. Deinde collyrio ex aqua euphrasiæ, saccharo, & tuthia præparata cicatricem induxi. His curatus fuit nullo superueniente symptomate: haud multò post curationem visum quoque recepit. Dodonæus in suis obseruationibus simile aliquid refert.

Anno 1597 curaui filium Matthæi Barbotti ciuis & mercatoris Lausannensis: cui, infixa sagitta, perforata fuit cornea, qua parte cõspicitur Iris. Effluxit nonnihil humoris aquei, vnde cõtracta est cornea, & puer protinus visum amisit. Vulnus curaui ad modum suprà dictum: puer hic quoque non ita multò pòst visum recepit.

AN-

ANNOTATIO.

Omnino his ægrotis cryſtallinus humor cōpunctus nō fuit: eſt enim ille humor præcipuum inſtrumentum viſus, ac ſua propria continetur membranula Arachnoide: qua dilacerata, ampliùs humor cryſtallinus officiū facere nequit. Effluxit autem in his aqueus tantùm humor, quem natura in anteriorem partem inter vueam tunicam (quo loco duplicatur & inuertitur) & corneam locauit. Atque hic cùm ſit excrementum quod exudauit ex venulis illis, quæ in vuea tunica conſpiciuntur, & circa locum humoris aquei terminantur, aliquando renaſcitur, præcipuè in pueris, vt etiam eximius Anatomicus Realdus Columbus in ſuis Anatomicis ſcriptum reliquit. Id autem hîc notandum, vulnerata pupilla viſum recipi non poſſe, quanuis humor cryſtallinus ſit illæſus, & aqueus renaſcatur: vt in multis, ac potiſſimùm in aſſecla generoſi viri Otthonis Schencki domini ab Horſt ante annos aliquot obſeruaui. Is cultello perforata pupilla viſū amiſit. Curaui vulnus vt ſuprà: tamen viſum non recepit. Ineuitabilis enim cicatrix impedit quominùs radij eorum quæ viſui obiiciuntur ad humorem cryſtallinum perueniant. Ex quibus perſpicuum ſit in extirpanda ad pupillam cicatrice nihil temerè tentandum, ne malum incrudeſcat, quod ex ſequente obſeruatione patebit.




OBSERVATIO XII.

Ex cicatricis ad pupillam extirpatione grauißima symptomata.



NOBILIS puella ita laborarat variolis, vt & cornea vnius oculi afficeretur pustulis: ex his relicta est cicatrix ad canthum maiorem, ad instar vngulæ quæ Græcis pterygion dicitur. Cõsuluerunt me parentes: sed cùm responderem nihil hîc me posse præstare, adhibuerunt empiricum, qui negauit cicatricem esse, sed concretam materiam dixit in superficie corneæ, quam se facillimè & sine periculo abstrahere posse audacter affirmauit. Parentes confisi filiam ipsi cõmiserunt: at ipse admota manu dilacerauit corneam. Inde dolores vehementissimi, inflammatio, febris, aliáque grauiora symptomata. Tandémque humores omnes exciderunt: vnde tunicæ contractę sunt, & oculus planè clausus. Honestissimam matronam Coloniæ in vico nouo, Im Korb, noui, quæ in pueritia, vt ipsa retulit sępius, laborauerat variolis: vnde etiam cicatricem pupillæ contraxerat. Eam empiricus sibi commissam, non manu, sed medicamentis erodentibus se curaturum promittebat: sed incidit & illa in grauiora symptomata: quippe effluxerũt humores, contractæ sunt tunicæ: inde oculus tota vita clausus.

OB-




OBSERVATIO XIII.

Ex vlcere circa fauces appetitus vitiosus, citra quem cibus deglutiri non poterat.



MVLIEREM quadragenariam sæpius inuisi Coloniæ, quæ vlcere maligno circa fauces ex pituita salsa è capite destillãte per annos aliquot laborauerat: adeò vt partes quædam palati, vti sunt amygdalæ, vuula, epiglottis, & portio gulę, exesę essent. Vix loquebatur: cibum & potum nonnisi maximo cum dolore poterat deglutire. Hæc autem imprimis notatu digna: quod quamuis minimè grauida esset, interdum hæc vel illa prægnantis instar appeteret, nempe haleces, carnes & pisces salitos & infumatos, aliósque concoctu difficiles cibos, vti & fructus immaturos. Deinde (mirum magis) quòd talia quantumuis dura sine dolore vllo deglutiret, si modò appeteret. Verùm appetitum & deglutitionem illam planè supernaturalem illi summo Dei beneficio accidisse non dubito: alioqui vita in tot annos protrahi & foueri non potuisset, cùm nullo modo hordeatum, aut amygdalatũ, vel carnium ius, aut tale quippiam sorbere posset, abhorrente stomacho: adeóque sæpissime totum triduum à cibo & potu abstineret, donec appetitus ille vitiosus denuò recurreret. Præterea quamuis quod appetebat morbo contrarium esset, eo tamen sine noxa vescebatur: quicquid autem respuebat, licet idoneum,

nauſeam & nonnunquam paroxyſmos febriles inducebat. Ex quibus intelligimus, non ſemper ægrotis ſeuerius deneganda quæ natura ſummè appetit. Siquidē videmus & nōnullos haud priùs ex quartana aliiſque morbis chronicis conualuiſſe, quàm illorum quantumuis vitioſo appetitui ſatiſfieret. Sed ea curatio non vſquequaque tuta eſt: imò neque iſta mulier illo modo ſanitatem recuperauit.




OBSERVATIO XIIII.

Spina piſcis gutturi infixa, biennio poſt excitato abceſſu in externa colli parte extracta.



ANNO 1594 Coloniæ acceſſit ad me mulier laborans tumore inſigni ad maxillæ inferioris partem dextram: qui tumor ſeſe ad aſperam vſque arteriam, aurem & furculam extendebat, repræſentabátq; ſteatoma: mollis erat, ſine inflammatione. Imprimis emollientia & diſcutientia per aliquot dies applicui: ſed cùm viderem his nihil profici, cauſam penitiùs inquiſiui. Illa reſpondit ſe ante biennium inter edendum ſpinam piſcis deuoraſſe, quæ œſophago adhęſiſſet, indéque ſtatim exortum dolorem maximum, ita vt difficilè cibum & potum deglutire poſſet: tandem dolore ſedato collum paulatim intumuiſſe. Ex hac declaratione cognoui ſpinam aut ipſius

ipſius portionem adhuc remanere: hinc ad ſuppurantia confugi. Suppuratus tumor â Ludouico Gandorpio chirurgiæ ſtudioſo, cui proficiſcens curationes commiſeram, inciſus eſt. Manauit materies plurima: ſpina pòſt apparuit, quam ipſe integram & incorruptam extraxit. Vlcus poſt paucos dies coaluit.




OBSERVATIO XV.

Mulier oßiculum deuoratum, quo penè ſuffocabatur, ſeptimo tandem die egeßit.

ANNO 1592 Metzgen auff dẽ VValber in Hilden, oſſiculum vndique peracutum deglutiuit. Primo, ſecundo & tertio diebus prouocato vomitu, neque egerere, neque trãſglutire potuit. Vocatus tandem quarto die, inueni collum intus & extrà inflammatum, ita vt vix inſpirare aut exſpirare, vel etiam iuſcula ſorbere poſſet. Vrgebant dolor vehemens, febris, delirium & conuulſiones. Cùm oſſiculum neque vomitu, neque inſtrumẽtis vllis depelli, nedum extrahi poſſet, ſed iam in ipſo gutture abſceſſum procreaſſet, anodynis quantum potui dolores ſedaui, & ſuppurationem prouocaui. Intus decoctum ex radicibus altheæ, ſemine lini, fœnigræci & cydoniorum, cum oleo amygdalarum dulcium per ſiphonem inieci. Exteriùs autem collum inunxi oleo anethino, liliorum alborum,

& amygdalarum dulcium: & cataplasma ex farina fabarum, floribus chamæmeli, meliloto, semine lini, fœnigræci, coctum in hydrelæo adhibui. Interim etiam aliquoties enemata inieci, & vires iusculis conseruaui vsque ad septimum. Tùm per os reiecit plurimū puris, simúlque ossiculum, cuius magnitudinem & figuram hîc subieci: sicque liberata & breui curata fuit.






OBSERVATIO XVI.

Quidam per imprudentiam deuorans frustum cor, ypropemodum suffocatus, tandem conualuit.



ANNO 1594 mense Maio, ciuis & sutor Coloniensis, è regione diui Laurentij habitans, inter confabulandum ore continebat corij frustum, quod illo prę risu hiante gutturi se insinuauit & infixit. Prouocauit statim vomitum: sed neque regerere, neque deglutire potuit: quapropter homo ille propemodum suffocatus est. Vocatus vnà cum clarissimo doctissimóque viro Domino Ioāne Kuenio Bridembachio Medico D. protinus inieci gutturi deco-

ctum emolliens ex radicibus althææ, ſeminis lini, fœnigræci, cum oleo amygdalarum dulcium: deinde ſtylo argenteo incuruo corium ad capacitatem ſtomachi depuli: quod poſt ſemeſtre ſpacium per aluum egeſſit.



OBSERVATIO XVII.

Inciſo cadauere, gibboſitatis cauſa abdita, inuentaq; eſt in cranio: vertebrarum carioſæ partes in media ferè pulmonis ſubſtantia deprehenſæ.



ADOLESCENS à pueritia gibbo & aſthmate vexatus, tandem ex phthiſi obiit circa annum ætatis decimũſextum. Huius cranium aperui præſente clariſſimo doctiſſimóque Eſaia Colladone Medico Doctore & Philoſophiæ in Geneuenſi Schola profeſſore ordinario. Inueni proceſſum ſiue interſtitium aut ſeptum illud quod eminet in medio oſſis Ethmoidis ſeu cribroſi (qui proceſſus craſſitiem papyri excedere vix ſolet) in latitudinem & altitudinem ita auctum, vt fere totum os cribroſum obtegeret: adeò vt foramina huius oſſis, per quæ pituita ex cerebro ad nares ſolebat affluere, planè oppleta viderentur, & quantumuis percocto cranio vix eorũ vllum pateret. Denique oſſicula ſuperioris maxillæ, quæ in magno oculi cantho conſpiciebantur, adeò excreuerant, vt ſeptum naſi hincinde propemodum attingerent. Hanc

præcipuam fuisse gibbositatis causam verisimile est. Cùm itaque pituita per nares minimè posset expurgari, versus spinalem medullam tēdebat: sicque vertebræ earúmque cartilagines assiduò irroratæ pituita viscida & relaxatæ tandem excreuerāt in gibbum maximum. Illud prętereà in hoc cadauere notādum visebatur, quòd sexta, septima, octaua, nona, & decima vertebræ metaphreni, quæ gibbum efficiebant, exesæ erant carie: præcipuè autem octaua & nona: quarum nihil præter exteriorem semicirculum cum suo processu conspiciebatur. Interiores autem partes harum vertebrarum in quatuor aut quinque partes fractas non sine admiratione in ipsa media pulmonis substantia inueni. Pulmo in ea parte quæ dorsum respiciebat vlcere magno & calloso laborabat, per quod ea fragmenta ex continuo pulmonis motu attracta fuisse dubium non est. Postremò erant ossa omnia à collo vsque ad pedes, præcipuè vertebræ, os sacrum, os pubis, ossa pedis, denique omnes epiphyses siue appendices præter consuetudinem molles ac tenellæ, vt fere instar ceræ tractari possent.



OBSERVATIO XVIII.

Ex scirrho & vlcere cancroso in intestino cæco exorta iliaca passio.

THEO-


THEODORI auff der Koulen in Hilden puerum aliquoties inuisi, qui dolore fixo & continuo sub regione hepatis per annos aliquot laborauerat. Eo tandem ex grauissima Iliaca passione mortuo, vocatus sum vt causam præcedentis doloris inquirerẽ. Aperto corpore inueni intestinum cæcum contractum, in intestinum ileum sese insinuasse, ídque oppleuisse adeò vt nihil ex superioribus intestinis ad colon permeare posset: inde iliaca. Denique fisso ileo, & exemto cæco, id vbique inflammatum & prætumens inueni. Præterea scirrhus exulceratus, aut potiùs cancer exulceratus in ipsius cæci intestini fundo conspiciebatur.

ANNOTATIO.

Diuersæ constituuntur causæ iliacæ passionis, quam nonnulli Miserere mei appellant. Præcipua autem est ilei constrictio & coarctatio. Itaque huius rei indagandæ causa diuersa cadauera inspexi: & quamuis vtplurimùm fœtor adeò teter erat, vt vix possent exquisitè omnia considerari, id tamen in omnibus hactenus obseruaui, principium & originem huius morbi fuisse circa intestinum cæcum: hoc est, sacculum qui in fine ilei & coli principio conspicitur.

Quamobrem existimo valuulam, quam præclarissimus D. Casparus Bauhinus anatomicus insignis in principio intestini coli inuenit, primùm ex intestini cæci inflammatione adeò cõtrahi & constringi, vt nihil quicquam excrementorum permeare possit: sicque accrescere inflammationem, vt tandem totum intestinum

ileum, imò & circumiacentes partes gangrænæ & sphacelo corripiantur: vt obseruaui in omnibus quos præter prædictum puerum hactenus dissecui.



OBSERVATIO XIX.

Hydrocardia.

GEORGIVS Benedictus pharmacopola quinquagenarius scirrho hepatis, obstructione splenis & venarum mesaraicarum, item dolore cõtinuo tum capitis, tum circa omoplatam dextram, necnon destillatione ad pulmones, tussi, & nonnunquam palpitatione cordis aliquot mensibus vexatus est. Mortui cadauer incidi, & inueni pectus plenum serosi humoris: pulmonis dextram partem propemodum absumptam: sinistram non mediocriter inflammatam & pleuræ costísque mediante callo quodam firmissimè adhærentem. Sed, quod mirabilius, in pericardio vltra libras quatuor saniosi sanguinis & materiæ purulentæ inueni. Nullum tamen indicium solutionis continui, neque in ipso corde alioqui externa sui parte leuiter inflammato, neque in pericardio: nec patebat via vlla per quam materia & aqua illa serosa ad pericardium percolata fuisse videretur. Id tamen ex ipso nonnunquam audiui cùm æger esset, percipere se interdum ad partem colli vtramque, quâ carotides arteriæ ascendunt, frigidissimum quẽdam humorem ex capite delabentem ad pectoris

ris regionem. Diſſectioni interfuerunt clariſſimi & doctiſſimi viri, Ianus Antonius Saracenus: Marcus Offredus: Andreas Bonctus: Saluator Verdetus: Georgius Ieniſchius Medici doctores, & quamplurimi alij.



OBSERVATIO XX.


Ex vmbilici abſciſsione ſubita mors.



ADOLESCENTI vulnus exiguum inter vmbilicum & coſtas mendoſas acie gladij inflictum eſt: mox is procumbens humi quamprimùm expirauit. Vocatus, miratus ſum eum tā leui vulnere accepto, & circa locum, mea quidem ſententia, haud ita periculoſum, tam ſubitò deceſſiſſe. Sequēti die, cadauere diſſecto cauſam peruestigans, inueni interiora omnia illæſa, præter vmbilicalem venam, in adultis ligamentum potiùs: quæ quidem vena planè abſciſſa fuit.

ANNOTATIO.

Infans quandiu geſtatur vtero, per venā vmbilicalem ad ſe trahit alimentum. Nato puero vena illa (ne penitus ſit inutilis) ſenſim indureſcit in ligamentum, cuius beneficio hepar vmbilico alligatur. Ligamento autem abſciſſo hepar ſurſum retrahitur & diaphragma adeò comprimit, vt homo neque inſpirare, neque expirare poſſit: imò ſuffocetur ilico.



OBSERVATIO XXI.

Infans eruptione facta matricem lacerat, totóque capite in ventris capacitatem delapsus, contracta matrice strangulatus deprehenditur.



ANNO 1593. 21. Aprilis Coloniæ præsentibus clarissimis ac doctissimis Ioanne Slotano & Henrico Palantio M. DD. dissecui aurificis vxorem ex parturitione mortuam. Comperta est matrix erumpente infante lacerata, eiúsque caput in læuam ventris capacitatem demissum: eadémque matrix, pars neruosa, circa infantis collum contracta, quæ ipsum procul dubio suffocàrat. Mater totos vndecim dies parturiens fuerat, frustra adhibitis obstetricibus, méque tandem ipso pridie ante obitum: cùm multò antè mortuus esset infans in vtero, solo extante læuo brachio quod propendebat.

ANNOTATIO.

Fœtus in vtero mortuus variè extrahitur. Alias apprehensis pedibus, alias capite, nempe vel ori, vel oculis, aut naribus, aut denique sub mẽtũ infixis hamulis. Prior modus naturali partui cõtrarius: alter videtur congruus. Verumtamen si quis ad hunc modum infigat hamulos, nonnisi vi magna, & vicinarum partium periculo potest fœtus extrahi: propterea quòd caput aut obliquum, aut transuersum adducitur.

Hæc mihi perpendenti occurrit breuior & tutior

tutior quædam methodus, quæ à me hactenus vſurpata ex voto ſucceſſit. Ergo ſi fœtus in vtero ſitus eſt præter naturam, ſiue tranſuerſus, ſiue obliquus, aut inuerſus, vel ſimili quouis ſitu, ſoleo manum inunctam oleo liliorum in vterum immittere & ad naturalem ſitum fœtum reuocare, quantum fieri poteſt. Tum adducto capite, aliquantulum aperio viam ſpeculi beneficio: ipſóque infantuli capite apprehenſo perforo cranium terebello infrà figurato, ídque in vertice. Ne autem terebelli cuſpis interea colli matricis partem aliquam compungat aut vulneret, priùs immitto fiſtulam, deinde per eam terebellum. Perforato cranio extraho terebellum, & foramini infigo hamulum infrà quoque figuratum: tum leniter leuitérqre fœtus extrahitur. Id cùm aliàs tum recens anno 1597 21. Nouembris Lauſannæ in honeſtiſſima matrona feliciter ſucceſſit. Si membrum genitale intumuerit, comprimendum eſt cranium, vel incidēdum in vertice, vt euacuato cerebro caput infantis faciliùs tranſmitti poſſit.




A Fiſtula, per quam immitendum terebellum, ne ipſius cuſpis vuluam pungat.

B Terebellum.

C Ha-


C Hamulus.

D Defensorium, quod interim dum immittitur hamulus, retrò versùs manubriũ demittitur: infixo autem hamulo, rursus adducitur: nempe vt si effugeret hamulus, defensorium tamen impediret quominus vulua laceraretur.



OBSERVATIO XXII.


Cultri oblongi dimidium lumbis infixum biennio post extractum est, relictaque inde fistula, sanata.




ANNO 1591 adiit me iuuenis robustissimus optimique habitus, laborans perangusta quidem, sed profunda & perpetuò dolorifica fistula ad dextram spinæ dorsi partem circa quartam vertebram lumborum. Is narrabat sibi ante bienniũ cultro illatum vulnus in quodam tumultu: quod à nemine hactenus curari potuisset. Dilatata fistula trochiscis de minio & spongiis præparatis, itẽ radicibus gentianæ, inueni in ima parte oblongi cultri dimidium, cuius mucro defixus fuit inter tertiam & quartã vertebram, reliquũ callo obductũ. Inciso callo extraxi cultrum: cuius longitudo cum latitudine hîc spectatur. Exin mundificato vlcere cum puluere præcipitato, & vnguento quod vocant Apostolorum, iuuenis breuî conualuit.

Id autem hîc insigne, quòd à vulnere accepto

ad extremam vſque curationem, vix vnquam febricitârit: nedum paſſus eſt inflãmationem, ſpaſmum, dolorem acutiſſimum, & reliqua ſymptomata quæ ſolent ſaucio dorſo accidere grauiſſima.





OBSERVATIO XXIII.

Adoleſcens per vmbilicum excernens: in cuius diſſectione ſedecim obſeruationes luculentæ.



ADOLESCENS duodecim annos natus cacochymus tumore inſigni, duro, & dolorifico muſculorum rectorum abdominis ad vmbilicum laborabat. Rupto tumore excrementa hãc viam iniêre vt per hebdomadas quatuor vel quinque, nihil per aluum egeſtum ſit.

1. Aperto ventre inuenta ſunt excrementa in vacuo, inteſtinis ſuffuſa.

2. Inteſtina præter naturalem ſitum, miro quodam modo intertexta.

3. In colo verſus hypochondria ſiniſtra vlcus oblongum & calloſum.

4. Colon in maximam capacitatem diſtentum, vt ventriculum potiùs eſſe, quàm inteſtinum,

num iudicaturus esses.

5. In fine mesenterij tumor insignis & prædurus intestinum rectum adeò comprimens, vt exinde nihil excerni posset.

6. Quod reliquum fuit excrementorum in intestinis, adeò induratũ, vt lapides potius quam excrementa viderentur.

7. Totum mesenterium, pancreas, item intestina, & vena porta tumoribus scirrhosis scatentia.

8. In imo ventriculo vlcus.

9. Tubercula glandulosa pylori in scirrhum maximum aucta.

10. Lien firmissimè costis hærens.

11. Circa vasa splenis, venam portam & cauam steatomata & scirrhi non pauci.

12. Hepar exangue & scirrhosum.


13. Diaphragma vndique tumoribus scirrhosis & steatomatis scatens.

14. In pectore & pulmonis substantia, item circa cordis vasa, œsophagum & asperã arteriam scirrhi quamplurimi, & steatomata penè innumerabilia.

15. In pericardio ichoris magna copia.

16. In cordis acumine tuberculum album ad nucis auellanæ magnitudinem.

Dissectionis testes doctissimi, Petrus Canalis, Georgius Ienischius M. D. Philibertus Saracenus, & M. Simon chirurgus.



OBSERVATIO XXIIII.

Lapis in vesica fellis: item vermis.

GENEROSVS vir Conradus à Stimberg pituitosus & cacochymicus, obstructionibus viscerum, vlcere maligno ad genu sinistrum, interdum etiam icteritia annis aliquot laborauit: ac tandem obiit ex febri Dusseldorpiæ Sept. 26. 1582. Incidi & condij cadauer cùm præstantiss. Cosma Slotano coram Clariss. ac doctiss. DD. Reinero Solinādro, & Galeno VViero. In vesica fellis inuenimus lapidem durissimum ad nucis iuglandis magnitudinem, anteriùs atrum, posteriùs croceum.

ANNOTATIO.

Concrescunt lapides in corpore humano ex viscidis & pituitosis humoribus calefactis. Et quamuis id in vesica fellis propter viscidi humoris absentiam perrarum, aliquoties tamen inuentum Dodonæus etiam annotauit.

Vermis in vesica fellis. Sed quid rarius, quid admirabilius, quàm gigni vermes in vesica fellis? Attamen præstantissimus Galenus VVierus, vir probus & fide dignissimus in illa dissectione, ac deinde sæpius domi suę Dusseldorpiæ mihi priuatim retulit se inuenisse vermem in vesica fellis. Quod sanè mirabile, cùm nihil sit in corpore humano felle amarius, cúmque & hominibus & brutis, ipsisque adeò plantis, vt testatur Galenus, amara omnia aduersissima sint, & ad nutricationem inepta.

OB-



OBSERVATIO XXV.

Inciso cadauere rara plurima obseruatu digna.

AMEDEVS quidam Faber lignarius quadraginta annos natus, biennio variis per interualla morbis, dolore capitis, ictero, viscerum obstructionibus, imò etiam cachexia, postremùm etiam dolore ischiadico laborauit: tandémque extinctus est aucta Febri cum paraphrenitide 19. Aprilis 1596.

Incidi cadauer corã DD. Georgio Ienischio & Philiberto Iani Antonij Saraceni filio. In dissectione visa sunt obseruatu digna quæ sequuntur.

1. Omentum inflatum & corruptum.

2. Intestinum Colon præter consuetudinem arctum circa ilia sinistra.

3. Inter collum vesicæ & intestinum rectum, tuberculum scirrhosum, ex quo sæpe vrinæ difficultas, ac interdum etiam ischuria.

4. Ad rotatorem femoris dextri ingens abscessus humorem purulentum copiosissimum supra libræ pondus continens: hinc erosis articuli ligamentis, imbibitis etiam musculis luxatio, quam passus erat æger.

5. Sub musculo psoa sinistro, cui rẽ incumbit, quíque in cruris interiorem partem inseritur, ingens atheroma vltra libras duas puris

craſſioris continēs: ibidémque tres aut quatuor lumborum vertebræ ita carie affectæ, vt earum fruſtula coram adſtantibus extraxerim digitis & attriuerim.

6. Inteſtina vermibus ſcatentia.

7. Tumor ſcirrhoſus, ſuppuratus, & ad inſtar ſteatomatis, magnitudine duorum pugnorum, ortus ex inferiore parte pancreatis inteſtinum duodenum circundederat, ſic vt peritonæo tectus, alterum quaſi ventriculum mentiretur. Materia per ramos venæ portæ in ipſum pancreas deſinentes affluebat.

8. In hepate ſcirrhoſo apoſtemata exigua multa.

9. Lien totus corruptus multos continebat calculos.

10. Pulmo inflammatus, multis grandinibus refertus.

11. In ſuperficie ſterni, ad clauicularum cōiunctionem atheroma oui magnitudine.

12. Apoſtema ſub ala dextra, inter pleuram & coſtas maximi pugni magnitudine & graueolens, cuius purulenta materia quartam, quintam & ſextam coſtas exederat. Atque adeò non modò diuulſæ erant coſtæ à vertebris, ſed & ſumma parte qua vertebris iunguntur vſque adeo carie corruptæ, vt facilè eximi digitíſque friarii poſſent.

13. In cranio dura mater inflammata.

14. Dura matre detracta, tumor ſcirrhoſus & latus in pia matre ad ſiniſtram falcis partem. Hæc nimirum fuit cauſa doloris capitis, qui totum biennium perſeuerârat.

15. In-

15. Inter meningas & cerebrum ichor multus.

16. Plexus choroides inflammatus.

17. Circa cerebri basin & cerebellum selibra sanguinis & ampliùs è iugularibus internis affluxerat.

ANNOTATIO.


Intestini coli angustiam naturalem in sinistra parte D. Gaspar Bauhinus Anatomicus insignis annotauit. Huius causa dolores Colici in ea parte plurimùm & oriuntur & exacerbantur: quippe angustia illa facilè obstruitur ab excrementis, quæ in colo filamentis rectis (vt D. Rondeletius diligenter annotauit) diu retinentur, ideóque indurescunt.

Psoæ musculi Galeno lib. 6. de dissectionibus musculorum sic dicti, renibus subiacent, & Vesalio sunt femur mouentium sexti. In his nonnunquam oriũtur apostemata grauissima & periculosa. Memini peritissimum Cosman Slotanum accitum ad honestiss. matronam in Gershim, eam inuenire decumbentem cum acutissimis doloribus circa lumbos, febri, lipothymia & vrinæ difficultate. Is cùm ex doloris specie aliisque indiciis cognosset apostema internum esse, (exteriùs enim nihil apparebat, nec tactu quicquam apprehendi poterat) vitæ periculum prædixit, nisi fortè aperto hypochondrio illo contentus humor efflueret. Annuentibus amicis, ipse ad spinæ dorsi latus, cutim & musculos exteriores ad psoam vsque incîdit nouacula. Effluxit copiosus humor purulentus & fœtidus.

Abscessus in psoa musculo apertus.

Ab eo tempore mitigata ſunt ſymptomata omnia, & ipſa breui reſtituta vixit & valuit multis annis.

Delineatio inſtrumentorum quibus Autor vtitur in extrahendo globulo, cuius fit mentio pag. 39.



GVLIELMI FABRICII HILDANI

DE GANGRAENA ET SPHACELO TRACTATVS METHODICVS:

In quo

Horum morborum differentiæ, cauſæ, ſigna, prognoſis: ac denique methodica curatio.





M. D. XCVIII.



LECTORI.



EXPERIVNDO discimus, Candide lector, corporum nostrorum morbos plerosque & symptomata analoga quodãmodo esse ad ingrauescens mundi senium sua tum malignitate, tum difficultate & cõtumacia. Testes è re nata superiorũ annorum variolæ locis plurimis ita curationi repugnantes, imò & malignæ, vt præterquam quòd sublati sunt innummeri tum pueri, tum etiam adulti, in illis quoque qui euasère, grauis quispiam, malignus atque contumax affectus relictus animaduertatur. Vnde sæpius eiusmodi ægrotantibus curatione adhibita sæpe subierit dicere, meliùs ac fœliciùs fortaßis agi cum iis qui variola magna conflictantur, quàm cum iis qui variolis illis infestantur. Hæc porrò nobis omnia, primùm quòd corrupta hominis natura, siue caro, vetus Adamus, indies augescit prauitate, malitia & contumacia in Deum: qui idcirco iure suo ingeminat maledictiones, plagas & cætera mala quorum mentio in libris Legis. Deinde etiam, quia corpus humanum hodie multò mollius est & infirmius, quàm olim propter summã in rebus omnibus intemperantiam: hinc infirmato innato calido, vt iam nequeat morbis obsistere, maligniores & curatu difficiliores ipsi morbi euadunt. Vix autem est alius isto de quo agere instituimus, lamentabilior atrociórue. Nam præter dolores & cruciatus longè

maximos, quos secum inuehit, quid tandem misero tabescenti funestius, quàm si viuo sibi videat membrum vnum aut plura sensim putrescere ac emori? Etsi porrò idem morbus perpetuò sat malignus & cõtumax extiterit, fit tamen cum alijs plurimis in dies deterior, atque contumacior. Quamobrem debet chirurgus aßiduò meditari qua tandem via queat eò valentiùs tam diræ lui sese opponere. Hac ex causa & ipse in manus resumpsi nuperrimè meum tractatum de Gangræna & Sphacelo (Coloniæ ante annos quatuor & ampliùs editum: atque cùm viderem probari quidẽ compluribus doctis ordinẽ & methodum qua in illo fueram vsus, at breuitatem non item, perscrutatus sum quàm diligentißime quæcunque de hac materia scriptores vtroque æuo clari disseruerant, eorúmque doctrinam secutus praxin & experimenta mea varia recens adieci. Nimirum ante viginti annos chirurgiam faciens & vidi curari, & curaui ipse quamplurimos, eiusmodi morbis conflictatos, vtens præstantißimorum philosophorũ, medicorum & chirurgorum consuetudine & familiaritate. In summa, dedi operam vt fusiùs id genus argumenti tractarem vitato tamen, quoad licuit, prolixitatis tædio: ea in medium afferre contentus quæ ad horum morborum cognitionẽ & curationem methodicam attinẽt maximè: Neque verò aliud in animo fuit quàm vt infelicibus ægris leuamẽ aliquod afferrem, chirurgiæ verò candidatis adminiculum. His enim solis opellam meam consecraui, non item eruditis & plurimùm exercitatis, quibus eam non nisi inutilem esse posse satis supérque noui. Tractationis autem ordo huiusmodi est. Primò definimus & explicamus quid sint Gangræna & Sphacelus.

Dein

Dein omne gangrænæ genus ad tres reuocamus causas, Intemperiem, Qualitatem occultam, & spirituum Interceptionem: vti reuerà non est gangrænæ genus vllum, quod nõ ad aliquam harum trium causarum referre poßis: quas quidem in vniuersum primùm, dein etiam sigillatim declaramus. Insuper enumeramus signa ex quibus tum agnoscuntur, tum etiam distinguuntur gangrænæ species: simúlque prognostica. Tandem gangrænæ & sphaceli curationem persequimur. Medicamenta verò ea tantùm proposui, quæ ratione & authoritate ac simul etiam experientia comperi præstãtißima, & quibus tutò Chirurgus fidere potest. Cæterùm quamuis paßim ea tractamus quæ veriùs Medicos spectant, putà victus rationem, & præparationes purgationésque ægrotantibus necessarias: nõ eò tamẽ facimus, quòd existimemus licere Chirurgo, nedũ tõsoribus & cæteris imperitis Medici partes præsumere: verùm vt Chirurgus ruri aut alibi medici ope destitutus, valeat tamen ea ex tẽpore præstare quæ ægrum iuuẽt. Gangræna enim ceu morbus acutißimus præsentißima poscit remedia, quorum alioqui dilatio ac retardatio ægris nimiùm perniciosa. Sin Chirurgus Medici consilio vti potest, erit vtique illius præsentia magno tum solatio tum etiam leuamento: adde quòd non tam facilè Chirurgi periclitabitur existimatio, si curatio non è voto successerit. Quòd ad nostrum dicendi genus attinet, etsi rude id ac impolitum esse lubens agnosco, nil tamen sum moratus, excusante Celso, dum scribit, Non eloquentia sed remediis morbos curari. Tu interim Candide lector, hunc nostrum qualemcunque laborem æqui boníque consule, & ex eo quencunque poteris factam capito, ad ægrorum leuamen & Dei

Opt. Max. gloriam: cuius sacrosanctæ benedictioni omnia commendo. Vale.

EPIGRAMMATA IN GVLIELMI FABRICII HILDANI CHIRVRgi experientissimi tractatum de Gangræna.

CAROLI VTENHONII.

EST πάθος in nobis σαρκῶν διαβρωτικὸν, hoc est,
Carnem quod erodendi habet vim emortuam,
Gangrænam Celsus vocat hanc, Herpestida vates
Lucilius, Ægineta Sphakelon nuncupat,
Non malè quæ dici fors mortificatio possit,
Si fœnerare eam à Theologis fas siet:
Sed licet & fas est: Nam mortificatio ceu nos
Cœlo beare carnis vnica est potis,
Sic quoque Gangrænæ aduersus contagia quod tu
Gulielme alexipharmakon nobis paras,
Eruere à diri pote nos est faucibus Orci,
Qui pignerârat ante tot letho senes.
ΣΑ'ΡΞ Ο"ΛΟΣ ὢν Ο'ΥΘΕ'Ν ςαυρῦ
ἄνευ ὁ ΒΙ'ΟΣ.

IOANNIS KHVENII BRIDbachij Coloniensis Medici.

QVid Gangræna mali sit, quasi cõtagine serpat,
Quæ causæ generent illam, quæ signa reuelent:
Hîc tibi Fabricius noster miro ordine tradit:
Sitque malum quamuis penè immedicabile, membra


Omnia

Omnia depaſcat latè, voret, hauriat, vrat,
Vicináſque trahat partes, & labe pererret
Deuaſtétque ſua, & membro dominetur in ægro,
Ille tamen Curam docet, & medicamine tolli
Quo poßit. Quòd ſi verò medicamine tolli
Non poßit, ferro vt penitus tollatur & igni
Demonſtrat, curæq; tibi compendia ponit.
Quiſquis aues igitur decus immortale domando
Tam furiale malum, famámque parare perennem,
Hunc lege: Nanque malum lecto furiale domabis,
Atque tibi famam & decus immortale parabis.

IOANNIS SLOTANI P. ET V. M. Doctoris Colonienſis.


Fabricij ex incude venit quod opus repolitum,
Intinctum docto eſt fonte Machaonio.
Hoc calet ingenij, ſed adhæc quoque dotibus artis
Chironis noſtri Fabriciíque decus.
Quis focus Antoni, quæ cauſæ, quomodo poßit
Defendi, ſæui quæq; medela docet.
Hic focus irrepens cœleſtis fulminis inſtar
Euolat, arte ſua Frabriciúſque domat.
Lumina magna minus velut obfuſcare videntur,
Ingenitum ſolet hic ſicq; operire focum.
Suſcitat huc ignem, velut & fræno tenet illum,
Et reuocat propè quos cymba Charontis habet.
Roma viros habuit magni quoque nominis olim
Fabricios, manet & gloria perpetua,
Inſignes habuit quæ & habet Germania multos
Fabricios, ſua qui iura ſciúntque ſacra.
Hic tamen vt (patet hinc) clarus ſit in arte medẽdi

Chiron, & liber hic testis apertus erit.
Hunc igitur totis vlnis heus excipe librum,
Lector, & hunc mentis collige, quaeso, sinu.



MATTHIÆ QVADI.

ACcipito placidè quem dat gratante libellum
Pectore Fabricius, Lector amice, tibi.
Quid Gangraena ferox, sphacelósq; trucissima quid sit:
Effectu & quàm sint exitiosa suo:
Quis sit progressus tantorum & causa malorum,
Praeterea qua sint arte leuanda docet.
Fontéque vt è paruo violentus nascetur amnis
Et minimos ortus grandia quaeque tenent:
Sic te principijs monet horum obstare, paranda
Postea ne frustrà sit medicina tibi.
Tunc etenim in medico non est releuetur vt aeger,
Cùm mala per longas inualuêre moras.



BALTHASARI GLAVSCRI-
stiani Bernensis.

ROmanae si gentis honos Fabricius olim
Dictus, si patriae gloria magna suae:
Te meritò, Guilhelme, facit Germania pluris,
Fabri qui clarum de patre nomen habes.
Ille etenim multos occîdit, sanguine multos
Exhausit, multis causa doloris erat.
Tu reparas multos: multis medicina dolores
Quam praebes tollit: pluribus illa leuat.



DE GANGRAENA ET SPHACELO TRACTATVS METHODICVS.

Capvt I.

Quid Gangræna & Sphacelus.

Bene Cicero: Omnis, inquit, quę à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci: vt intelligatur quid ſit id de quo diſputatur. Omiſſa enim definitione, fluctuat tractatio. Eſt autem definitionũ genus duplex: vnum quo rei nomen duntaxat declaratur & nonnihil illuſtratur: veluti quum etymi ratio affertur: alterum, quo pleniùs rei natura ſiue eſſentia abſoluitur. Illam nominis, hanc rei definitionem Dialectici. De gangræna agenti nominalis erit definitio illa latior etymologica, Gangræna eſt morbus carnem exedens. Siquidem Græca vox gangræna deducta eſt ἀπὸ τῦ γράειν, ſiue, vt Heſychius, γραίνειν, hoc eſt, exedere, ſiue rodere. At eſſentiales gangręnæ definitiones plures ſunt apud idoneos Scriptores Medicos vtriuſque æui: quarum tamen nonnullæ deſcriptiones potiùs quàm definitiones. Medicarum definitionum author ait, Gangrænam eſſe mutationem coloris naturalis in colorẽ præter naturam, & mortificationem, ſiue adſit exulceratio, ſiue abſit, Cic. Offi. lib. I.

Galen. li. de tumoribus præter nat. Galenus ſic videtur definire, initium mortificationis in parte ægra, quæ paulatim ſic inuadit & occupat partes vicinas & adiacentes: vt niſi afferatur remedium, perfecta ſubſequatur mortificatio. Galen. in lib. Hippocr. de articulis cõment. 4. Idem Galenus dicit gangrænam eſſe diſpoſitionem mediam inter ſummas inflammationes & ſphacelum, eámque inflammationibus tantò deteriorem, quò mitior eſt gangræna ſphacelo. Lib. 2. ad Glauconem. Idem Galenus de gangrænis quæ inflammationibus accidunt, ait tùm credi membrum gangræna affectum, quum propter ſummam inflammationem tendit ad mortificationem, nec tamen planè mortuum eſt & ſenſus expers. In Hippocr. Apho. comment. 50. ſect. 7 Alibi dicit locum cenſeri gangræna affectum, quum propter ſummam inflammationem incipit mutari color & perire ſenſus, tendítque ad mortificationem. Omnes omnium definitiones aut deſcriptiones afferre infinitum fuerit: ſuperiores ſatis ſint, ceu ex quibus etiam reliquæ omnes deriuatæ ac penè tranſcriptæ videntur. Gãgrenæ definitio eſſentialis. Nos quidem vt eam gangrænæ definitionem colligamus, quæ & breuis & accommoda ſit omni gangrænæ ex quacunque cauſa ortæ, ſtatuimus Gangrænam eſſe diſpoſitionem partium tum carnoſarum, tum ſpermaticarum ad perfectam mortificationem: Vel, Eſſe mortificationem earum ipſarum partium imperfectam. Similiter & ſphaceli tradenda definitio, quãdo & de eo ſimul & ſemel acturi ſumus, cùm haud ita diſſimilis ſit affectio, imò in eam ſæpius ſuperior degeneret. Sphaceli definitio eſſentialis. Sphacelus igitur ſiue Sphaceliſmus & Syderatio Latinis, eſt plena & perfecta mortificatio ſupradictarum partium: nec

nec ossium duntaxat (vti sæpius vsurpatur apud Hippocratem) verùm & cæterarum omniũ plus minúsve solidarum, nempe carnium & vasorum, vt speciatim docet Galenus libro de tumor. contra naturam. Reliqua sphaceli significata ab hoc instituto aliena repetat qui volet ex eiusdem Galeni li. 2. de locis affectis. Scio (quod & locis suprà citatis notauit Galenus) sæpe gangrænam pro sphacelo & contrà perperàm accipi: verùm ista exquisitè sic distinguuntur, vt gãgræna sit mortificatio etiamdum in fieri, vti Physici loquũtur: sphacelus autẽ, iam facta mortificatio, loci inquam substantiâ iam corruptâ, ipsóque loco iam sensus experte, siue pungas, aut seces vrásve. Vnde & gangræna solas partes molliores inuadit: sphacelus autem atrocior, præter has, duriores quoque partes, ossa & cartilagines depascitur. *Distinctio gangrenæ à sphacelo.*

CAP. II.

Gangrænæ & Sphaceli causæ vniuersales.

GANGRAENAM & Sphacelum definiuimus mortificatione: hunc quidem perfecta, illũ autem imperfecta. Cùm autem mortificatio sit vitæ extinctio, ac proinde innati calidi destructio, vtpote in quo vita verissimè consistat, videndum quot modis & quibus ex causis contingat innati calidi extinctio & deperditio. Nam eædem causæ si corripiant membrum aut partem corporis, prout plus minúsve sunt efficaces, parti illi vel sphacelum, vel gan-

grænam inducunt: ac plerunque prout augetur gangrænam quidem priùs, deinde verò sphacelum. Non potest autem innatum calidum existere sine humido suo radicali & spiritibus fixis: in omnibus corporis partibus, adeò vt grauiter læso humido radicali, innati calidi fomite & alumno, læsis item spiritibus, in quibus tanquam subiecto insidet, ipsum quoque lędatur innatum calidum. Humidum autem radicale resoluitur, dissipatur & absumitur, cibo quotidiano non satis reparatum & instauratum: vel si occurrat illi alienus calor vehemens & diuturnus: aut etiam si concrescat & veluti fixetur cogatúrue acutissimo frigore. Sic etiam spiritus, qui partibus affixi ipsum tum humorem radicalem, tum innatum calidum comitantur, possunt vel dissipari, vel suffocari, vel infici. Dissipantur negata refrigeratione & recreatione per influentes spiritus, qui à partibus primariis continenter communicantur ac distribuuntur reliquo corpori per neruos, venas & arterias. Suffocantur abundãte humore: siquidem innatum calidum assiduę ventilationis egens, non potest integrè conseruari. Inficiũtur denique à materia prorsum maligna, venenata & corrupta. Hinc quæcunque causæ possunt exiccare aut cogere humorem radicalem: quęcunque item dissipant, suffocant, aut inficiunt ipsos spiritus humoris radicalis comites indiuiduos, eædẽ sunt intercipiendi ac destruẽdi innati calidi causæ, ac proinde mortis. Et verò interitus omnis siue naturalis, siue violentus, ad aliquã ex his causis reuocatur. Nã, verbi gratia, qui lenta aut violenta febri, aut igni, aut fame,

aut

aut ſenio intereunt, illi herclè moriuntur ex diſſipatione & abſumtione humoris radicalis, quæ in his ſubitò & repentè, in illis fit lentiùs. Sic & qui rigidiſſimo algore pereunt, dici poſſunt interire propter congelatum coagulatúmue humorem radicalẽ. Qui ex ingenti aliquo vulnere cum inſigni hæmorrhagia, vel ſecus, pereunt, illi proculdubio extinguuntur propter magnã ſpirituum diſſipationem ſimul & ſemel factã. Qui ſtrangulantur aut ſubmerguntur, vel qui ex hydrope aut ingenti inſigníque contuſione pereunt, eos verè dicimus mori propter ſuffocatos eoſdem ſpiritus.

Poſtremò, qui ictu morſúue venenato aut toxico ſumto pereunt, in his maligna ſpirituum infectio mortem creat. Quòd ſi totum corpus hoc modo interit, innato calido ſic affecto, vti ſuprà diximus, ſiue penuria humoris radicalis, ſiue etiam inopia ſpirituum eum comitantium, haud dubiè quędam illius partes poſſunt pariter mortificari, vbi ſimiles defectus innato calido accidunt. Tùm enim neceſſe eſt illorum craſim & harmoniam diſſolui ſiue ſubitò, ſiue ſenſim. His ita conſtitutis, dicimus membra ſiue partes corporis mortificari ſeu potiùs extingui poſſe aliqua ex his tribus cauſis. Primò quidem ex vehementi alteratione qualitatis manifeſtæ, qualis eſt intemperies calida, frigida, humida & ſicca. Deinde ex qualitate occulta, hoc eſt, materia maligna & virulenta ſiue corpori ingenita, ſiue extrinſecus contracta. Omnino enim huiuſmodi materia tota ſua ſubſtantia corrumpit innatum calidũ, & ſpiritus inficit. Tertiò denique, quum

partes corporis pariter afficiuntur ex spirituum maximéque vitalium suffocatione aut interceptione. Atque hæ causæ dum extinguunt innatum partibus illis calidũ, prout sunt magis minúsue violentæ, efficiunt in eis vel gangrænam, vel sphacelum, vt infrà pluribus.

Cap. III.

Prima particularis causa gangrænæ: alteratio videlicet vehemens ex qualitate manifesta, putà intemperie calida, frigida, humida & sicca.

Galen. de simpl. med. facult. lib. 4. c. 13. SIQVIDEM res omnes, authore Galeno, conseruantur proprio calido temperato & naturali, contrà externo & præter naturam aduenĩete corrumpuntur, vtique pars aliqua diuturna inflammatione affecta per affluxum aut congestionem humoris sanguinei aut biliosi, desinit tandem in gangrenám, aut etiam sphacelum. Nimirum quia humor radicalis à calido extraneo & præter naturam exiccatur & absumitur: vnde & ipsius tandem innati calidi extinctio. Vsuuenit id quoties phlegmonis temerè adhibentur frigida & astringentia, aut etiam emplastica, à quibus spiritus influentes ipsúmque nutrimentum arcentur à parte affecta: ipsisque adeò poris eorundem medicamẽtorum vsu constrictis humores parti impinguntur magis ac velut inculcantur, atque ita obruitur præfocatúrque quantuluncunque inest innati calidi. Ideo monuit Hippocrates, Erysipelas foris intrò conuerti malum.

Gãgrana ex inflammatione.

Galen. li. suprà citato cap. 1.

Hippocr. sect. 6. Aphor. 25.

lum. Adſtipulatur & Auicẽna, quum ait, magnos interdum oriri dolores ex repercutientium vſu, ipſúmque humorẽ ſæpius intrò pelli: vnde pars affecta liuida & nigricans euadat, denique computreſcat. Quicquid enim tranſpiratione minimè vẽtilatur, putreſcit facilè, teſte Galeno. Cum igitur phlegmones antecedens & cõtinens cauſa ſit ſanguis calidus & humidus quantitate aut qualitate peccãs, hic alio quouis humore citiùs putreſcit & corrumpitur, ſi repercutientibus aut emplaſticis intro pellitur aut alioqui retinetur in ima parte affecta: hac ex cauſa inflammationi plerunque gangræna ſuccedit. Vt autem in inflammationibus aſtringentia aut emplaſtica periculoſa, ſic & præter modum calida: pinguia itẽ & oleoſa. Olei enim & ſimilium pinguium vſus nuſquam inflammationi conuenit.

Auicenna lib. 4. fen. 3. tra. 1. cap. 3.
Gal. lib. de inæquali intemp.
Galen. de ſimpl. med. facult. lib. 2. c. 21.

Arteria vulnerata, cutis ſuperiecta coaleſcit: at arteria propter continuum motũ & duplicem ac duriuſculam qua prædita eſt tunicam, ſeriùs agglutinatur & coaleſcit: ita extrauenatur ſanguis, & fit tumor Medicis aneuryſma dictus. Tũ ſanguis ille extrauenatus corrumpitur, auctóque calore putreſcit: vnde ſæpius gangræna & ſphacelus. Id accidit quoties improuidè chirurgus tundens brachij baſilicã, non eam modò, ſed & arteriam illi ſubiectam pertundit.

2. Gangræna ex aneuryſmate.

Inſignes contuſiones, quales ex ſclopetorum vulneribus, & aliæ vndecunque factæ partium carnoſarum cum oſſium fractura, non raró deſinunt in gangrænã & ſphacelum: pręſertim verò ſi longo tempore aſtringentibus curentur, vti fit ab imperitis. Dum enim impediatur digeſtio,

3. Gangræna ex magnis cõtuſionibus & vulneribus.

quæ fieri debet medicamentis calidis & humidis, caro contuſa & ſanguis coagulatus facilè corrumpuntur, tandémque putreſcentes ipſum innatum calidum extinguunt.

4. Gangrana pudẽdorum. Accidit etiam gangræna infantium pudendis, ſiue obſtetrices, dum ex vtero prodeunt, eorum lumbos duriùs attrectarint, ſiue in ipſo partu nimiùm cõpreſſi fuerint. Pudenda enim ceu mollia & ſpongioſa facilè ſuſcipiunt ſanguinem cõtuſum ac liueſcẽtem, qui inibi corrumpitur: vnde dolor & inflammatio, quæ demum ſuffocat innatum calidum: id quod non ita pridem mihi videre contigit.

5. Gangrana ex enormi vſtione. Enormes vſtiones interdum excipit gangrena vel etiam ſphacelus: quemadmodum accidiſſe comperi honeſtiſſimæ matronæ apud noſtrates Hildanos: nempe quia vaſa corrugantur vſtione & conſtringuntur, ſicque via obſtruitur ſpiritibus vitalibus, vt nequeant liberè permeare. Item, quia humor radicalis partis abſumitur & ſiccatur ignis vehementia. Cùm enim deſtituatur innatum calidum humore ſuo radicali, neceſſe eſt partem affectam interire. Eſt & tertia cauſa, nempe quòd tũ empyreuma, tum etiã corrugatio cutis ſummum accendant dolorem, ac proinde humorum affluxum excitent, quibus in parte affecta incaleſcentibus & inflammationem concipientibus exiccatur humor radicalis, ipſúmque innatum calidum ſuffocatur.

6. Gangrana gingiuarum. Gingiuarum inflammatio, maximè in infantibus, in gangrænam interdum degenerat, partim propter abundantem oris illorum humiditatem, partim quòd non poſſint ad iuſtam mor-

bi

bi neceſſitatem medicamina apponi. Huiuſmodi gangrænas memini videre morbo apud Septentrionales frequenti, quem Scorbutum vocant, ſuperuenientes.

Inflammationes quoque internæ non rarò deſinunt in gangrænam & ſphacelum: cuiuſmodi vidimus in ipſis etiam cerebri membranis, vt patet ex ſequente hiſtoria. Fuſis apud Delphinates Heluetiis, anno 1587 quendam ex eo numero curaui robuſtum iuuenem, bono habitu, at capite ſauciatum hunc in modum. Enſis Heluetici ictu ſecta illi fuerat pars oſſis parietalis circiter palmam lata: hæc autem cuti muſculoſæ adhæſerat, ſuóque loco erat reddita: quin & ſanguinis & pilorum interuentu concreuerat veluti cruſta, quæ totam illam partem contegens, impedierat quominus vlla materia ſex diebus totis ab accepto vulnere promanaret. Porrò abraſis crinibus, apertóque vulnere inuenta eſt inter partem oſſis ſeparati & duram matrem plurima materies graueolens, ſimul & oſſium tenuia aliquot fragmenta: prætereáque, quod maius eſt, vermes grandiuſculi quatuor aut quinque. Inſuper & dura mater denigrata & infecta erat putredine tam diu inſidente. Æger nihilominus conualuit clariſſimi Iani Antonij Saraceni M.D. conſilio, & Ioannis Griffonij Chirurgi longè peritiſſimi opera atque induſtria: quibus & ego interfui.

7. Gangræna ex inflãmatione interna.

Memorabilis hiſtoria.

Vxor iudicis Oberradenſis ad Coloniam 24. annis ſcirrho hepatis laborans tam multa ſubinde adhibuit emollientia, vt tandem inflammatione, deinde etiam abſceſſu maximo in hepate facto abdominis muſculi & cutis labem ex-

Gangræna in hepate.

communicatione, ac demũ etiã exulcerationem senserint. Adhibitus in consilium cum Domino Arnoldo Manlio Medicę facultatis in Coloniẽsi Academia Professore primario, deprehendi maximum tumorem in hepatis regione, paulò antè ruptum quàm aduenissemus, cum tanto fœtore vt nihil suprà. Inibi excitatum est vlcus ingens, ex quo plurima materies sanguinolenta, subtilis & graueolentissima, simúlque plures omẽti particulæ, vt & hepatis loborũ planè syderatæ: vnde paucis pòst diebus obiit.

Gangræna ex vrinæ suppressione.

Filio meo septenni accidit magna ex cerebro defluxio in vreteres: vnde vrinæ obstructio tanta, vt ne guttula quidem permeare posset, & quantumuis ritè variis adhibitis remediis sexta die obierit. Inciso apertóque abdomine coram clarissimo Ioanne Slotano D. M. inuenti sunt renes cum vicinis partibus inflammati & gangræna correpti. Aperui olim corpora ex iliaca passione defunctorum, in quibus omentum & intestina tota sphacelo tenebantur: ex his fœtor grauissimus vetuit penitiùs inquiri morbi causam. Breuiter, nulli non corporis parti gangræna potest accidere.

Gangræna ex frigore.

Hactenus de gangræna ex intemperie calida: nunc de iis quæ ex altera actiua intemperie, nempe frigida, oriuntur agendum. Talis ea est qualis qua sæpe extremę partes corripiuntur, dũ summa vi frigoris humor radicalis & spiritus adeò frigescunt, vt cogantur atque concrescant: quo modo pinguedo, oleum & ipsa aqua frigore densantur & congelantur. Humore radicali sic indurato, calidum innatum suo deficitur

citur alimento: adde quòd externum frigus ſpiritus obuios foràs pellit. Tùm verò natura nouos ſpiritus parti affectæ ſubſidiarios mittit, qui quidem malè compoſitam partis harmoniam nacti illico ad ſuam originem recurrunt: atque ita pars affecta calido proprio deſtituta interit. Idem vſuuenit hyeme iter facientibus per niuem, glaciem, & aquam frigidam: maximè in regionibus algidis, Alpibus, inquã, Iſlandia, Noruegia, Liuonia, & cæteris Septentrionalibus: quippe iis in locis frequens hyeme mortuorum ex frigore occurſus. Plurimis extrema concidũt, aurium, narium ac digitorum. Hîc memini me anno 1588 menſe Decembri cum clariſs. Iano Antonio Saraceno M. D. curare Comitem Manſfeldium, cui gangręna ex frigore vtrumque pedem inuaſerat, vnde & digiti aliquot perierunt: attamen breui perſanatus eſt. Curabam id quoque temporis ſupra quinquaginta equites & milites Germanos hoc ipſo morbo ex eadem cauſa contracto laborantes: ex quibus complures reſtituti, nec tamen ſine tibiarum aut pedum manuúmve detrimento. Eo tempore (proh dolor) diſſipatas magnas illas Germanorum noſtrorum in Gallia copias hoſtis in Sabaudiam vſque ita perſequebatur, vt plerique miſeri vadatis amnibus, aliíſque locis niuoſis ſuperatis, vitam fuga redimere cogerentur. Eadem ex cauſa paulò poſt obierunt plurimi lipothymia, ſyncope, ac ſudoribus frigidiſſimis: alij verò gangræna & ſphacelo correpti. Hos interim boni Geneuenſes (quod commemorare iuuat) benignè & Chriſtianè amplexi

Obſeruatio.

Obſeruationes.

ſunt, nonnullos Xenodochio ſuo, alios priuatis ædibus excipientes, iiſque liberaliter medicos & chirurgos ſuos adhibentes: ac inter cæteros præſtantiſſimos viros Ianum Antoniũ Saracenum M.D. & Ioãnem Griffonium Chirurgum. Sed & pleriſque ſanitati reſtitutis ac in patriam remigrantibus ſuppeditauêre tum pecuniam, tum etiam veſtimenta, quoniam ſpoliati nudatíque venerant.

Medicamenta narcotica, velut Opiũ, Cicuta, Hyoſcyamus, Mãdragora, temerè inflammationibus adhibita videntur cogere humorem radicalem, ipſúmque adeò innatum calidum extinguere, quod & ipſius aquę frigore vſuuenire obſeruaui. *Obſeruatio.* Siquidẽ anno 1591. ſub Canicula puella laborans febri cõtinua eáque ardentiſſima, dum die critico ſudore & calore ſummo ęſtuat, deducitur ab imperita quadã fœmina è lecto ad puteum: hinc hauſta ſitula frigidiſſimæ (qualis eſt ferè puteorum id temporis) immerſiſque manibus ad frigus captandum, ſtatim exortus eſt dolor quacunque aqua attigerat, cum tumore & liuore. Propinqui neglectis remediis initio ſalutaribus, poſt octauum demum diem me conſuluêre: tùm deprehendi dextram puellæ ad carpũ vſque veſicis liuidis extuberantem: extrema digitorum arida & verè ſyderata: adhibitis tamen ſcarificationibus, aliiſq; idoneis remediis tãtum effeci, Deo ſic fauente, vt tota propemodũ manus conſeruata fuerit, excepta prima digitorum articulatione. Altera verò manus initio quidem tumore doloréque affecta fuerat, ſed poſtmodũ omnẽ malignitatẽ in dextram quaſi depoſuerat.

Etſi

Etſi qualitas humida patiens eſt potiùs quàm agens, tamẽ (vt ſuprà cap. 2. attigi) ſpiritus inſiti humórque radicalis, & cum his innatũ calidum poſſunt ab ea ſuffocari. Itaque quoties pars aliqua corporis, ac potiſſimùm tibiæ & pudenda inſigni intẽperie frigida & humida eáque diuturna conflictantur, facilè poſſunt gangræna aut ſphacelo prehendi. Verùm hæc gãgrænæ ſpecies vix aliis accidit, quàm qui diutiùs morbo aliquo laborârint, velut hydrope, aut alio quopiam grauiſſimo partium internarum affectu. Neque verò exîſtimanda ſola per ſe id genus intemperies partem extimam occupans inibi gangrænã efficere: at præcipua cauſa innati calidi, ſpirituum item & alimenti penuriæ aſcribenda. Iſta enim morbi diuturnitate & acerbitate plurimùm imminuuntur, maximè in partibus intimis & organicis: adeò vt partes remotas iis tãdẽ deſtitutas neceſſe ſit interire: vt ſæpius hydropicorũ tibiis accidiſſe memini. Sic & pudẽda cùm ſint vicina hepatis emunctoriis, prætereáque ſuapte natura rara & mollia, facilè imbuuntur humoribus ſeroſis, quibus redundantibus ſuffocatur innatum calidum, haud ſecus ac exigua flamma aqua copioſa iniecta facilè reſtinguitur. Quòd ſiquis imperitus admouerit emplaſtica, vti fit interdũ, tantò citiùs accidit ipſa ſuffocatio. Ex eadem intemperie gangræna in ore infantium, quoties copioſus extillat humor ex capite, in iis maximè qui hydrocephalo tenentur. *Gangræna ex intemperie humida.*

Etſi ſicca difficilè corrumpuntur, eſt tamen gangrænæ ſpecies, quæ nonniſi ad intemperiem ſiccam reuocari poteſt, & nihil eſt a- *Gãgræna ex intemperie ſicca.*

liud, quàm absumtio humoris radicalis, atque exiccatio & quasi marcor venarum & arteriarum ex eo contingens, quòd nullum accipiant à partibus organicis sanguinem: hinc enim fit vt cùm innatum calidum & spiritus insiti non alantur & foueantur ampliùs sanguine naturali & vitali, necesse sit partem sensim emori, quo modo lucerna oleo, aut ignis ligno deficiente restinguitur. Hæc gangræna solis corporis extremis partibus videtur accidere, præsertim digitis, tibiis & pedibus eorum qui morborum vi extenuantur & contabescunt: verbi gratia, febrium tam acutarum quàm diuturnarum, atrophiæ, phthiseos & similium internorum affectuum. Idem senio aut longa diuturnáque fame confectis euenit. Nam & his partes intimæ & organicæ cùm extremis sufficientem sanguinem & spiritus suppeditare nequeant, non vasa modò, sed & ipsas integras partes exiccari necessum est. Sed & partibus destitutis humore radicali innatóque calido, sensim accenditur calor præter naturam, qui quidem eas corrumpit & putrefacit.

Luxationibus itidem maiorum articulationum, putà scapularum aut coxendicum, malè restitutis, os loco suo motum cõprimit ipsa vasa, prohibétque quominùs sanguis & spiritus ad partes subiectas deferantur, vnde atrophia & macies siue brachij siue tibiæ. Quòd si eiusmodi *Hippocr. Aphor. 60. sect. 6.* ægri ad senilem ętatem peruenerint, aut longiore morbo conflictentur, tandem ferè in gãgrænæ discrimen incurrunt.

Obseruatio. Idem accidit obstructa vena caua, vt ante aliquot annos obseruaui. Quidam alioqui

bono

bono temperamento præditus & ætate integra incidit in gangrænam vtriusque tibiæ, latente causa: nisi quòd antea tibiæ & pedes assiduò frigebant, ingrauescebãt & quasi stupore tenebantur. Vtut sit, illi superuenit gangræna, nulla præcedente febri aut causa externa: itáque paulò pòst obiit, oborto adusque genua sphacelo. Aperto cadauere inuenimus tumorem scirrhosum circa venam cauam descendentem, nempe infra renes, vbi hæc vena ad vtramque tibiam bifurcatur. Scirrhus in magnitudinem auctus ita constrinxerat venam cauam & arteriam descendentes, vt nullus sanguis ad crura nutrienda & viuificanda permeare posset. Hæ igitur duæ posteriores gangrænæ species possunt quoque ad spirituum interceptionem ceu causam referri. Breuitati studens taceo cætera similis gangrænæ exempla quæ habeo. Ex superioribus autem omnibus colligo, omnem intemperiem posse esse causam gangrænę: nec ita tamen vt omnis intemperies necessariò in gangrænam degeneret, sed ea tantùm quæ & vehemens est & diuturna.

CAP. IIII.

Secunda particularis causa Gangrænæ, nempe alteratio vehemens ex qualitate occulta.

Suprà de gangrænis quę oriuntur ex qualitate manifesta, hoc est, ex intemperie aut calida, aut frigida, aut humida, aut sicca: sub quibus etiam compositas complectimur: quando rarò

sola & simplex intemperies occurrit, vt annotat Galenus. Nunc tradẽda est altera causa, qualitas videlicet occulta, ideò sic dicta, quòd non agat in corpora calefactione, refrigeratione, humectatione, aut exiccatione manifesta, quemadmodum superiores intemperies, sed modo quodam occulto & mentibus nostris imperuestigabili subitò corrumpat corporum substãtiam: vti fit in gangrænis compluribus. Vnde intelligimus, quàm sapienter Hippocrates diuinũ quiddam inesse morbis plurimis dixerit. Quamuis autem in gangræna à medicamentis septicis, aut à morsu ictúve venenato, potest plerunque notari causa aliqua manifesta, nempe intemperies; est tamen præterea quiddam aliud peculiare & supra naturam ac mentes humanas: quod vel mediocriter in chirurgia exercitatis licet animaduertere.

Galen. de inæquali intemperie.

Praenot. lib. 1.

Porrò materia huiusmodi malignitate comitata, aut corpori innascitur, aut extrinsecus aduenit, ex morsu, ictúve virulenti animalis, aut ex adhibitis septicis. Ingenita causa dici potest, verbi gratia, cùm grumus aliquis sãguinis extrauenatus, aut alia quæuis materia, corruptione tãtã venenositatem & malignitatẽ asciscit, vt postea, si naturæ vires tulerint, in extremitates excussa & translata inibi suffocet innatum calidum, adeóque breui partes eas perdat atque corrumpat. Tale quid obseruaui in rustici puella ad Dusseldorpiam. Huic enim peste anteà conflictatæ, cùm persanata videretur ab omnibus luis symptomatis, putà bubonibus, carbũculis, febri, &c. subitò tantus exortus est dolor in vtriusque pedis

Io. Fern. de abditis rerũ causis. lib. 2. cap. 15.

Obseruatio.

dis digitis, vt ſyderati fuerint illico, adeóque ad vltimam vſque articulationem amputandi fuerint. Veriſimile reliquam illi fuiſſe à peſtilentia materiam quampiam malignam, quam velut per criſim natura in extremitates excuſſerit.

Idem vidimus in morbis minùs malignis, vt in variolis, naturâ criticè exonerante materiam penitus malignam in extremitates & articulos: vnde & ipſa oſſa carioſa euaſerant. Vidi in ſęuiſſima peſtilentia, quæ Noueſium Germaniæ oppidum infeſtauit, aliquot anthracas qui ſiquam partem carnoſam inuaſerant, vti clunes, femora, ſcapulas, mammas muliebres, eius bonã partem intra horas 24 ita ſtupefacerent, primùm, ac deinde etiam planè corrumperent, vt tandem pars tota excideret. Age, quis valeat tantæ malignitatis cauſam reddere? Et verò omnes peſtilentes carbunculi, quoniam momento partis quam occupant natiuum calorem extinguũt, malignitatem abditam & occultam, quæ tota ſubſtantia agit, in ſeſe continent. *Obſeruatio.*

Ad hanc quoque cauſam reuocanda gangræna ex morſu & ictu beſtiarum venenatarum. Quanquam enim quarundam venenum eſt calidum, putà viperæ, & paſtinacæ marinæ, quippe quod calidã intemperiem ictæ parti imprimat: aliarum verò frigidum, proindéque ſanguinem in venis congelans, vti ſcorpij & aſpidis venenũ: habent tamen peculiarem quandã & occultam vim putrefaciendorum humorum & inficiendorum ſpirituum. Idem conſtat ex rabidi canis morſu. Equi & leonis morſus nonnullis venenatus creditur, ob grauiſſima quę cient ſymptoma- *Paulus Ægineta lib. 5. c. 19*

ta: sed dixerim potiùs has belluas, ceu longè robustissimas, vi sua contundere & cõterere venas ac neruos, imò & ipsa ossa interdum: vnde acutissimus dolor & inflammatio, ac tandem gangræna & sphacelus, ex vehementissima (vti credo) contusione, non quòd venenum vllum latere comperiatur.

In venatione luporum. Luporum morsus venenatos tradit Rusticæ domus author: quia quæ momorderint animantia ægrè sanentur, ac sæpe numerò demorsæ partes computrescant. Iudicent qui vulneribus ab illorum morsu excitatis adhibiti fuerint.

Denique septica, imprimis Arsenicum, Sandaracha, &c. temerè admota locis calidis & humidis, v.g. ori, emunctoriis, pudendis, & infantium carni molliculę, fœminarum itidem & eorum qui in otio degunt, aut sedentariam vitam agunt, creant interdum gangrænam & sphacelum. His enim occulta vis ex tota sui substantia liquandæ & putrefaciendæ carnis, cuius vapor dum ad partes principes fertur, spiritus inficit. Memini cùm vix granum Arsenici quantumuis aliorum mistione correctum applicitum esset vlceri tibiæ, subinde accidisse deliquia, syncopé, febrim, delirium & inquietem: ex quibus symptomatis facile erat coniicere tres partes corporis primarias, cerebrum, cor & iecur, labem aliquam sensisse, trãsmissa nimirum pharmaci malignitate per arterias, venas & neruos. Sic mihi retulit clarissimus D. Saracenus, Geneuæ intra paucos dies sublatum robustissimũ Heluetium, cui cùm tumore cancroso ad carpum laboraret, Chirurgus quidam alioqui doctus & in arte sua ver-

verſatus, puluerem ad cancrum qui recipiebat arſemici tantillum, quóque aliâs erat fœliciter vſus, adhibuerat.

CAP. V.

Tertia & vltima cauſa particularis Gangrænæ, nimirum interceptio ſiue prohibitio ſpirituum.

TERTIA & vltima cauſa particularis gangrænæ eſt interceptio ſpirituum, ſanguinis, & alimenti: quoties videlicet arteriæ, venæ ac nerui quacunque tandem ex cauſa obſtruuntur, atque ita obſtruuntur, vt ſpiritus illi & ſanguis nequeant permeare fouendo partium humori radicali & innato calido: vnde neceſſe ſit eas interire. Tale quid nimium frequẽter accidit, dum Empirici & cæteri improuidi homines arctiùs luxatos artus oſſáve fracta conſtringunt. Sic enim dupliciter peccatur: Primò, quia maiore copia quàm par ſit ſanguis & reliqui humores ad locum affectum attrahuntur: deinde, quia tam arctè conſtrictis vaſis humorum & ſpirituum tranſitus penitus inhibetur. *Hippocr. de fract. & articulis. Gal. lib. de cauſis morborũ.*

Ideo Hippocrates aliíque veteres non ſolùm vetant in his curationibus tam arctis vinculis faſciiſve conſtringi partem, ſed & ferulas ante ſeptimum aut vndecimum diem apponi. Nam totidem dierum interuallo pars affecta ferè obnoxia eſt affluxibus, inflammationibus & cæteris id genus ſymptomatis. *Hippocr. lib. de fract. Galen. meth. med. lib. 6. Paulus Ægineta lib. 6. cap. 100.*

Prohibetur quoq; ſpirituũ & alimenti ad par-

tem quampiam tranſitus, quoties luxata pars ſuperior perperàm reſtituta eſt, aut occurrunt ſcirrhoſi tumores circa vaſa maiora, vt tertio capite annotauimus. Immoderato quoq; vſu aſtringentium, quæ Practicis defenſiua dicuntur, interdum adeò conſtringuntur vaſa, vt inhibeantur arceantúrque ſpiritus & alimentum, refrigerantúrque ſimul & ſemel inſiti parti affectæ ſpiritus, vt elanguida tandem fiat, & ſæpe occupetur gangræna & ſphacelo.

Gabriel Fallop lib. de tum. cap. 26.

Facta interceptione ſpiritus animalis, vt in paralyticis & apoplecticis, partes inferiores nōnunquam corripiuntur gangræna, & mortificatione tandem perfecta. Huiuſmodi iuuenem vidi à lumborum vertebris ad pedis vſque plantas ita paralyticum, vt neque vrinam, neque cætera excrementa continere poſſet. Clunes inuaſit gangræna, quos neceſſe fuit diſſecari: nihilominus tamen paulò pòſt mortuus eſt, quantumuis in eo curando nihil nō ex arte præſtaret doctiſſimus & peritiſſimus Coſmas Slotanus illuſtriſſimi Clemēſium, &c. Principis Archichirurgus. Ex priuatiōe illa ſpiritus animalis accidit vt inferiores partes aggrauatę fuerint, vnde & coccyx cœpit contuſione laborare, deindéque propter vrinam continenter præterfluentem exulcerari: tandémque gangræna correptus eſt.

Auicenna lib. 4. fen 3. tract. 1. cap. 3.

Obſeruatio.

In Enterocele ſiue hernia inteſtinorum fit quoque gangræna interceptis ſpiritibus, quum inteſtini pars aliquantiſper intra ſcrotum continetur, quæ flatuum & excrementorū copia plurimùm diſtenditur, in ipſis autem rupti peritonæi aut relaxati anguſtiis ita arctè cōprimitur,

vt ſpiritus & alimentum intercludantur. Sic enim neceſſe locum gangræna & ſphacelo prehendi: quemadmodum ſæpius accidiſſe obſeruauimus. Corripit & talum gangræna, qualem nuper obſeruauimus in ornatiſſimo viro D. Henrico Balbani. Quoties enim propter fracturam vulnus vlcúſue tibię pes diutius erectus inſiſtit talo, inde talus contunditur & comprimitur, atque ex iſta contuſione & compreſſione tandem oritur gangræna & mortificatio, compreſſis & arctatis ſimul & ſemel eo ſitu venis & arteriis ipſum crus & tibiæ pulpam decurrentibus, vt ſpiritus & ſanguis nequeant liberè ad talum penetrare. Huc quoque facit aſſidua tibiæ extenſio, per quam diſtentis etiam vaſis innatum calidum & ſanguis nequeunt deſcendere in partem affectam: vnde tandem ea frigeſcit & interit. Ea porrò diſtenſione vaſorum poſſe frigeſcere partem affectam ex eo intelligitur, quòd equitando per frigidam tempeſtatem ſi pedes diutiùs intra fulcra pedum equeſtria cõtineantur, frigent impenſiſſimè: ſin extra fulcra propendeant, per ſe ocyùs incaleſcunt. Sanguis enim & calor patentibus ipſis vaſis illicò ad pedes recurrunt.

CAP. VI.

Signa Gangrænæ.

SIgna gangrænę ex inflammatione ſiue intemperie calida ſunt hæc: dolor pulſans qui præceſſit cum inflammatione, multò remiſſior eſt: mutatúrque rubicundus inflammationis color in

Signa gãgr. ex inflam. Hippocr. li. de frac. Gale. lib. de tum. præ. nat.

pallidum, fuſcum & liueſcentem. Exoriuntur & puſtulæ grandiores plenæ ichore, loturæ carnium ſimili. Hæc autem omnia contingunt, quòd locus affectus tendat ad mortificationem, ſanguiſque & calor partim recurrant ad centrum & originem ſuam, cor & iecur, partim corrumpantur. Inde enim pallor in parte affecta, remittítque dolor pulſatilis, qui antè extitit ex eleuatis propter conflictum innati calidi cum calido præter naturam vaporibus humorum putreſcere incipientium. Niſi verò ſuperetur præſenti remedio morbus, reuocato innato calido ad partem affectam, & expulſo eo calore qui eſt præter naturã, euacuatíſq; ſimul & ſemel humoribus iam corruptis, tùm quoque deſinit arteriarum pulſus, quia ſpiritus non tranſmittitur, aut ſi tranſmittitur, inuenit partem tam malè affectam, vt ab ea recipi nequeat. Sic deficiente ſpiritu vitali, pars oppletur excrementis & humoribus, vnde ea remolleſcit & relaxatur, atque adeò ſi comprimas, remanet impreſſum veſtigium ceu à compreſſo œdemate. Denique ſenſus neruorum minuitur, vt tandem ſecari, vellicari & vri poſſit locus abſque ægroti ſenſu aut perceptione diſtincta. Huiuſmodi res accidit nobili fœminæ Colonienſi, cuius tibiæ gangræna affectæ tria aut quatuor cauteria actualia applicui, coram clariſſimis Medicinæ Doctorib. DD. Henrico Bottero, Illuſtriſs. Haſſiæ Lantgrauiæ medico, & Ioanne Kuenio Bridbachio. Tantum verò abeſt vt conquereretur de cauterum vſtione, vt contrà ſubinde exprobraret à nobis applicitã niuem, glaciem, aut frigidiſſimum quippiã.

Hæc

Hæc priuatio ſenſus non gangrænæ tantùm, ſed & ſphaceli, adeóque imminentis mortis τεκμήριον eſt longè certiſſimũ, eo quòd putredo tanta venis, arteriis & neruis concepta eſt, vt inde non minima portio ad partes principes deferatur. Tùm quoque ſecuta eſt febris acutiſſima cum ſyncope, dolore capitis, delirio, vomitu, aliíſque grauiſſimis ſymptomatis.

Gangrænæ ex frigore facile eſt indicium. Ex frigore enim ſubitò magnus dolor oritur pungens & mordax, ac initio rubor ſcintillans, eo quòd cutis meatibus frigore conſtrictis calor abundè cogitur: at paulò pòſt locus ex rubeo fit liuidus & frigidiſſimus, frigore depellente ſanguinem & innatum calidum, adeóque refrigeratis & diſſipatis inſitis ſpiritibus. Itáque pars priuatur motu & ſenſu, accedente horrore ſiue tremore, qualis ſolet quartanam antecedere. Præterea ex ipſo ægro reſciri poteſt vtrúmne niues aut aquas frigidiores traiecerit, ex quibus frigus contraxerit. At ſi tam diuturnum ſit frigus, vt loci innatum calidũ nequeat ampliùs reſiſtere, ſuperueniet ſphacelus & omnimoda mortificatio. Ait enim Hippocrates, frigida nimica oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullæ, adeóque vitæ noſtræ, quæ quidem in calido humidóque temperatis conſiſtit. Signa gangrenę ex intemperie humida ſunt hæc: Locus iampridem affectus fuit ingenti tumore, aquis & humoribus ſeroſis ac œdematis referto: æger autem eſt debilis, macilentus, cachecticus, imò etiam plerunque hydropicus. Talis ferè gangręna pudendis & tibiis accidit, nullo tamen anteà dolore

Signa gã-gr. ex frigore.

Leuin. Lem. de occult. nat. mirac. lib. 4. cap. 2. Ambroſ. Par. lib. 12. cap. 24.

Signa gã-gr. ex humido, ſiue ex qualitate humida.

magno. Neque enim humida intemperies dolorem gignit, nisi extensione ob ingentem humorum copiam: attamen membro extinctioni proximo superueniũt dolores acerbissimi, haud secus ac in cæteris gangrænæ speciebus. Postremò arteriarum pulsus desinit, liuescítque locus, ac sensus deperditur.

Signa gã-gr. ex intemp. sicca. Gangræna ex intemperie sicca, deficiente videlicet alimento, eo primùm cognoscitur, quòd nullus adsit dolor, inflammatio, tumórue ab initio; deficiente nimirum affluxu siue copia sanguinis aliorúmue humorum inflammationi cõcipiendæ paratorum. Deinde hæc gangrænæ species accidit corporibus macilentis, infirmis & extenuatis, siue senio, siue diuturno & graui morbo, quorum vires elanguidæ, alimentúmque absumtum est. Tertiò pars statim à principio refrigeratur ac stupefit, eo quòd spiritus animales, vitales & natiui in ea minimè vigeant. Quartò hæc gangræna extremis accidit, putà tibiis & pedum digitis plurimùm, aliâs etiam manuum digitis, extremo naso & auriculis. Interim æger morbum vix sentit: at vbi tandem exoriuntur pustulæ aut bullæ aqua rufa plenæ, quarum ima pars, si excideris, conspicitur liuida, nullo aut exili sensu, tùm fiunt acutissimi dolores, febris, aliáque symptomata, simúlque sistitur arteriarum motus & pulsatio.

Signa gã-gr. ex qualitate occulta. Gangræna ex occulta qualitate diligenter & accuratè distinguẽda à gangræna ex frigore, aut intẽperie sicca: quia, vt dictum est, si intẽperies in causa est, symptomata interna, putà febris, syncopæ, deliria, &c. obscura erunt, nec priùs se-

se

se patefacient quàm pars extima corruptionem capessat. At si qualitas occulta, materia videlicet maligna corpori ingenita, quam ab intimo corpore ad extimas partes depellat natura, tùm erit ingens naturæ cum morbi causa conflictus. Vnde etiam subitò febris, alteratio, syncopæ: partis item liuor, nigredo & mors. Sin gangræna fuerit ex morsu aut ictu bestiæ venenatæ, aut carbunculo pestilenti, aut septici alicuius applicatione, id cùm per se facilè, tum ex ęgri & adstantium sermone intelligi potest. Denique si gangrænæ materies innata sit corpori, symptomata interna ferè apparebunt prima, antequàm gangræna sese patefaciat: sin extrinsecus aliundè adueneri t venenata materies, contrà eueniet.

Signa gangrænæ ex spiritum interceptione, maximè ex arctiore ligatura in fracturis, luxationibus &c. hęc sunt. Pars prætumida est, dura, & distenta: nempe quia constrictione illa plurimus sanguis aliíque humores euocantur, qui vehementes dolores faciunt & inflammationem. Exoriuntur etiam bullæ maiusculæ ichoris plenæ, loturam carnium repræsentantis. Præterea pars affecta ingrauescit & fit immobilis, quia deficiunt spiritus: ex eadem etiā causa impressi digiti vestigiū in ipsa parte remanet, ipsáque cutis à carne diduci videtur. Distenditur & nonnunquam pars flatibus, ita vt si cōtrectes, non aliter crepitet, quàm vitulina caro, quam lanius suo flatu impleuerit. Si pungas scalpello, exit flatus cum humore pauco stridens, haud secus atque cùm ex feruentis ollæ angusto foramine quidpiam effūditur. Hæc omnia sigillatim obseruata anno

Signa gā- gr. ex spirituum interceptione.

1595 mense Ianuario, tum à meipso, tum à clarissimo Ioanne Kuenio Bridbachio M. D. in famulo ornatissimi Gualtherij à Prato. Denique, ex ægro ipso etiam poterit resciri, numquod ingens vulnus acceperit, ex quo vasa per transuersum secta fuerint: aut nunquæ luxatio ei malè fuerit restituta, vtrúmue astringentia emplastra diu gestauerit.

Cap. VII.

Signa Sphaceli.

SVPERIORE capite signa gangrænæ diuersa notauimus, prout ex causis quoque diuersis orta erat: at sphaceli, quantumuis è diuersis orti causis, illa plane eadem. Nam siue ex calida, siue ex frigida, siue ex humida, siue ex sicca denique intemperie, aut ex ipsa spirituum interceptione oriantur sphaceli, omnes sunt inter se simillimi: hoc vno excepto, quòd in sphacelo ex qualitate occulta grauiora cernuntur symptomata, febris, inquàm, syncopæ, delirium &c. quàm ex manifesta. *Sphaceli signa.* Sphaceli signa sunt. 1. Pars affecta multò quàm antè grauior, vix mouente sese ægro propter decedentes spiritus & vitã ipsam. 2. Rubor & genuinus color depereunt, fitque pars liuida, atra, emortua & graueolens instar cadaueris. 3. Pars antè dũ vigeret gãgræna mollis, per sphacelum exiccatur. 4. Cutis apprehẽsa & digitis in altum sublata, videtur à carne diduci. 5. Sensus exquisitus & perfectus nullus: vt facile sit secare, ligare, vrere, & quamlibet operationẽ moliri citra

tra sensum ægri. Quòd siquid sentire videatur, non aliunde id accidit quam ex prioris doloris phantasia, aut ex operationum quæ fieri debent apprehensione. Quòd ad motum extremorum qui diutissime perstat, prudens chirurgus non propter eum differet amputationem. Quũ enim musculi caput mouetur, eius cauda nempe tẽdo motum eum sequitur. Sic quum mouentur tibiæ musculi, pedis sequuntur digiti: quanuis fortè ante quatriduum mortui sint digiti. Etsi verò sphaceli signa quædam cum gangræna sunt cõmunia, veluti color liuidus, grauitas, sensus deprauatio, &c. ea tamen in sphacelo quàm in gangræna euidentiora & longè vehementiora visuntur. *Ambrosi. Paraus lib. 12. cap. 28.*

CAP. VIII.

Prognostica Gangrænæ & Sphaceli.

COGNITA gangræna & sphacelo, antequã ad agendum Chirurgus aggrediatur, prospicere debet, quis morbi futurus sit exitus: vtrúmne medicabilis, an immedicabilis sit, an etiam diuturnus futurus. Omnes enim morbos sanare impossibile, teste Hippocrate: quãuis illud optabilius foret, quàm præsagire imposterũ euentura. At cùm fieri nequeat, saltem significare chirurgum oportet ægri familiaribus adstantibus, quis futurus sit euẽtus: sic enim apud illos fiduciam sibi comparabit ex artis suę peritia, & imposterum calumniã deuitabit, cui est alioqui ars Medica nimiùm hisce temporibus obnoxia. *Hippocr. prandi.1.*

Tria ad prognosim necessaria. Bene verò prædicturus chirurgus tria conſideret: eſſentiam & naturam morbi, hoc eſt, grauiſne ſit, an leuis: vires ęgri aut vegetas, aut imbecilles: partē denique ægram. Nam ſi leuis eſt morbus, & quidem in membro à partibus principibus remoto, velut in brachiis aut tibiis, vires autem vegetæ & firmæ, facilè ſanabitur. Sin omnes hæ conditiones aut earum pars contrà ſint, æger in vitæ aut diuturnioris morbi periculo verſabitur. Verùm hæc fuſiùs & accuratiùs declarantur hunc in modum.

Celſus lib. 5. Gangrænam, authore Celſo, ſi nondum planè tenet, ſed adhuc incipit, curare non difficillimū eſt, vtique in corpore iuuenili. Attamen ſumma diligētia & induſtria deſideratur: corpus itidem vegetum ac robuſtum eſſe par eſt: alioqui fruſtra nitente chirurgo deſinet gangræna in ſphacelum, & eum quidem immedicabilem, authore *Ægineta lib. 4. cap. 19.* Ægineta, niſi tota pars vitiata amputetur.

Gāgræna in partibus humidis, gingiuis, palato, naribus, pudendis, oſculo vteri, & inteſtino recto rarò ſanabilis: in ſphacelum autem degenerans, inſanabilis: propterea quòd partes illę ſunt calidę & humidę, rarę, ſpongioſę, adeóque plurimis humoribus & excrementis ſuſcipiendis opportunæ. Præterea verò ipſum innatum calidum cùm facile ſuccumbat in illis partibus, eò etiam citiùs ſuffocatur.

Gangræna partium intimarum, iecoris, lienis, renum &c. periculoſa, imò etiam lethalis.

Quibus cerebrum ſphacelatum eſt, intra triduum pereūt. Si verò hos ſuperauerint, ſani fiūt, inquit Hippocrates. Tùm enim ſperandum eſt, mor-

morbum inclinare,& vires esse validas quæ corruptionem vincere possint.

Attamen Galenus eo loco negat Hippocratem intellexisse quem nos sphacelum vocamus, sed gangrænam potiùs, aut ingentem aliquam inflammationem : atque ita sphaceli nomine priscis Græcis dictam interdum gangrænam testatur. Si enim, inquit ille, sphacelus est corruptio partis cuiusque quam is occupat, insanabilis est: at Hippocrati sphacelus est sanabilis nonnunquam. Non est ergò verisimile eo loco proprio significato accipi sphacelum, sed pro gangræna potiùs verè dicta,quæ est quasi via ad sphacelum & illius velut ante ambulo.Gangræna hydropicorum tibiis superueniens raró sanabilis, sæpius in sphacelum degenerat. Quòd si releuetur æger, restabit tamen vlcus non nisi longo tẽpore sanandum,teste Hippocrate.Cùm enim non sanentur vlcera, nisi exactè priùs desiccata, quod in hydrope fieri nequit propter nimiam humiditatis copiam, necesse est hydropicorum vlcera difficilè sanari, quandiu saltem eorum corpora ita affecta sunt. *Hippocr. Aphor. 50. sect. 7* *Hippocr. Aphor. 8. sect. 6.* *Idẽ lib. de vlcerib.*

Perniciosa tali gangræna, propter symptomata quæ secum inuehit, ratione magni tẽdinis acutissimo sensu prędita. Quòd si os tali corrumpitur,vtplurimũ ęger pedis actionibus priuatur: tum quia corruptio ea nonnisi difficillimè corrigi potest(os quippe molle & spongiosum cùm sit, facilè humores allicit & combibit, qui cariem augent ac fouent) tum quòd tendo ille à talo veluti soluitur atq; ita diuellitur, vt ipsius pedis motum deperdi necesse sit. *Hippocr. lib. de fracturis.*

Sphacelus à pede aut tibia ortus indéque genu ipſum tranſcendens lethalis vt plurimùm: pars enim illa femoris carnoſa cùm ſit calida & humida, putredo facilè ſerpit & in muſculos ita ſeſe inſinuat, vt nequeat penitus tolli, quantumuis tibia ipſa amputetur.

Gangrænę ex cauſa primitiua, putà contuſione, vſtione, fractura, &c. ferè ſanabiliores & minùs periculoſæ, quàm quæ ex antecedente cauſa ortum ducunt. Huiuſmodi enim gangræna interna viſcera teſtatur adeò malè affecta, vt medicamentis vix vllus ſit locus.

Beniu. de Abd. ac mir. mor. cauſ. cap. 71. Rēb. Dodō. Med. obſer. cap. 27. & 53. Galen. meth. med. lib. 7.

Gangræna ex ſiccitate & atrophia difficilè & tardè curabilis: in ſphacelum verò deſinens, penitus incurabilis, imò & lethalis: maximè ſi æger ſit prouectioris ætatis, debilis & macilentus, morbus autem in tibiis ſit & pedum digitis. Id enim extremam ſiccitatem arguit, quæ inſanabilis eſt, teſte Galeno.

Gangræna ex qualitate occulta periculoſiſſima, ac plurimùm deplorata & lethalis, præcipuè ſi in ſphacelum tranſeat: ſiquidem ex partibus ſphacelo affectis virus ſiue vapor quidam venenatus attollitur, qui partes nobiles planè inficit.

Gangrænæ ex prohibitione ac interceptione ſpirituum vitalium, naturalium & animalium, ac potiſſimùm quę luxationibus malè reſtitutis ſuperueniunt, vt & quæ à vaſis tranſuerſim ſectis proficiſcuntur, difficillimè curantur: in ſphacelum verò degenerantes, lethales. Rei cauſam habes capite proprio de gangrænæ cauſis.

Vlcus in gangræna & ſphacelo cōſiderandum quoque diligēter. Nam ſi ſit liuidum & aridum,

aut

aut nigrum & aridum, parum aut nihil egerens materię pro magnitudinis ratione, inclinent autem ægri vires, certa mors intra paucos dies expectanda. Quippe adeò infirmatur altrix facultas, vt nequeat ampliùs transmittere sanguinem aut alimentum parti affectæ, sed eam siccari sinat. Quòd si qua fortè materies corrupta inerat corpori, antea euacuari solita per vlcus, cùm sit facultas expultrix infirmior, quàm vt valeat trãsmittere & propellere ad partes remotiores, ea manet in corpore, & partes primarias lædit: vnde interim & ipsum quoque vlcus siccum & aridum conspicitur.

Ex gangræna & sphacelo moribundis plurimùm adest frigidus sudor vniuersalis: siue quia totum corpus ita abundet humoribus frigidis, vt neque natiuo, neque febrili calore possint incalescere: siue quia natura vel, iuxta Hippocratem, innatũ calidum, perquàm imbecille est. Accidunt quoque syncopæ & cordis palpitationes, exhalatis per arterias ad cor vaporibus putridis. Interim pulsus obscurissimus & vermiculans est, propterea quòd arteriis vaporum copia oppletis prohibetur diastolæ & systolæ. Adsunt quoque deliria & paraphrenitides, propter vapores copiosos sublatos ad caput & cerebrum offendentes. Vt autem gangrænæ variæ sunt causæ, ita & varius est ex ea morientium status. Alij enim veluti sopiti moriuntur, alij etiam inter loquendum: plerosque tamen comitantur acutissimus dolor, spasmi, deliria &c. Quibus enim gangræna oriunda ex intemperie sicca, aut quibus ætas grandior & extenuatio multa, hos ferè mors

opprimit loquentes. Quibus autem gangræna ex intẽperie humida, hi somnolenti ac soporosi pereunt. Contrà quibus intemperies calida in causa est, ferè morte violenta perimuntur, quam comitantur febris, syncopæ, deliria, paraphrenitides & spasmi: præsertim si iuuenis & robustus æger fuerit.

CAP. IX.

Gangrænæ curatio vniuersalis.

GANGRAENAE remedia alia vniuersalia, hoc est gangrænæ cũ aliis morbis pluribus communia, alia particularia. Vniuersalia sunt, verbi gratia, diæta, euacuatio corporis adhibitis purgationibus, phlebotomia, cucurbitulis, frictionibus, &c. Particularia traduntur, scarificationes, cauteria siue potentialia siue actualia, & quæcunque huiusmodi putredini & malignitati repugnant: de quibus infrà fusiùs. In administrãdis remediis vniuersalibus accuratè perquirẽda est causa antecedẽs siue interna, vt ab ea sumatur prima curationis indicatio. Nã si gãgrena proficiscitur ab affluxu humorũ calidorũ & humidorum, oportet diætam & sex rerum non naturalium vsum tendere ad refrigerandum & exiccandũ, nisi adsit febris: tùm enim diæta paulò humidior præcipienda est ægro, præsertim iuueni: vti & si materia peccans fuerit calida & sicca. Purgatio, siquidẽ erit necessaria, perficietur cholagogis, vti electariis Diasebesten, Diaprunis, lenitiuo, rosato Mesuei, de succo & similibus.

1. Indicatio curationis.

libus. Phlebotomia & cucurbitarum hirudinúmque applicatio conducibilis cùm ad reuulsionem & deriuationem, tum ad humoris peccantis euacuationem, præsertim in gangræna ex affluxu sanguinis. Sin erit mera bilis flaua, hoc est humor cholericus, phlebotomiæ parcẽdum: quippe sanguis veluti frænum est humoris biliosi. Æger etiam abstinebit à vino & calidis omnibus: bibat verò ptissanã cui sint incocti Tamarindi, itémque oxalis, addito syrupo citriorũ, aut de succo limonum, de acetosa, arantiorum, acetoso, granatorũ & similiũ. Sin ex causa frigida & humida sit morbus, diæta & sex rerum nõ naturalium vsus vergẽt ad mediocrem calorem & siccitatem. Quamobrem addantur in cibis rosmarinus, hyssopus, thymus, maiorana, cinnamomum, radic. petroselini, fœniculi, aliáque diuretica. Purganda quoque pituita Elect. Ind. maiore & minore, Diaturbith, Diaphœnico, Diacartamo, & similibus, pro ratione ægri ætatis & virium.

Tandem quauis arte euacuandum & desiccandum corpus, & roborandę partes internę, ac iecur imprimis, trochiscis de rhabarbaro, de eupatorio & diarrhodon.

Prædominante humore melancholico, siue atra bili, abstineat quoque æger à cibariis crassioribus & concoctu difficilibus, salitis carnibus, aromatis, leguminibus, ferina, auibus aquatilibus. Ac vbi pręparatus fuerit humor syrupis de epithymo, de fumaria, & lupulorum sumtis cum aquis stillatitiis, aut decocto earundem herbarũ, purgetur Diasenna lenit. pulu. sennę præpar.

confect. Hamech. aut pilul. de fumo terræ: dissoluentur isthęc electuaria in decoctione fumariæ, epithymi & polypodij. Sin gangræna proficiscatur ex siccitate & ex atrophia, erunt internæ partes humectandæ bono alimento: externæ autem vnctionibus ex oleis amygdalarum dulcium, liliaceo, violaceo & similibus. In hac gangrænæ specie nocet venæ sectio, itémque frictiones & cucurbitæ, nisi fortè ipsi parti affectæ adhibeantur, alliciendorum gratia spirituum & sanguinis quo ipsa alatur. Ætas quoque, temperies corporis, sexus, regio & anni tempestas indicant quid facto sit opus. Ampliùs enim refrigerantia desiderantur in habitu bilioso, æstuosa regione, tempore & anni tempestate itidem calida, quàm si omnia secus habuerint.

In Topicorum quoque vsu habenda erit horum ratio, nempe 1. Causæ. 2. Aetatis. 3. Sexus. 4. Virium. 5. Partis affectæ. 6. Omnium verò

1. Indicatio. maximè, vehementiæ & magnitudinis morbi. A causa prima sumitur indicatio. Nam si fuerit affluxus phlegmonicus, potentiùs refrigerandum est & euacuandum, quàm si causa in humore pituitoso consistat. Præterea humores arcendi sunt defensiuis: contráque attrahendi iidem si causa sit siccitas sanguinis alimentíque penuria. Rursum si causa sit arctior ligatura, ea soluenda & medicamen adhibendum incidendis, abstergendis & desiccandis humoribus retentis circa ligaturam, quò pateat spiritibus via. Si erit luxatio aut ossium eminentia, suo quoque loco restitui oportet, quoad eius fieri poterit.

2. Indicatio. Secunda indicatio ab ætate desumitur. Nam iuueni

iuueni ægroto caro & partes omnes molliculæ: ſunt proin medicamenta adhibenda minùs efficacia, quàm quæ prouectioribus. Horum enim caro & partes duriores ac ſolidiores, verbi, gratia, agricolarum, nautarum, venatorum, baiulorum & aliorum eiuſmodi laborioſam vitam agentium. A ſexu itidem indicatio. Ferè nanque delicatiùs tractanda mulier aut puella, quàm vir quiſpiam, aut habitior adoleſcens: ſimiliter & molliùs otioſi ac delicati omnes: itémque eunuchi, quàm ſuperiores illi agricolæ aliique id genus. 3. Indicatio.

Ab ægri quoque viribus quarta ſumitur indicatio. Nam ſi firmæ fuerint, chirurgo integrum erit applicare valentia remedia, & neceſſarias operationes exequi. Sin morbo iam deiectæ vires, vix præſtari poterunt quæ alioqui neceſſaria forēt. Prudentis autem hominis eſt, inquit Celſus, eum qui ſeruari non poteſt, nō attingere, ne videatur occidiſſe quem ſors ipſius peremit. 4. Indicatio.

Quinta indicatio petitur à parte affecta. Nam oculi, os, pudenda, vterus, anus, articuli, vertebræ & alia id genus, itémque partes exquiſito ſenſu præditæ ſunt molliùs tractādę, quàm quæ ſunt muſculoſæ, vti brachium, tibia &c. Ita ſeſe geret Chirurgus quoad eius fieri poterit pro ratione indicationum quæ ſeſe offerent. 5. Indicatio.

Sexta & poſtrema ſupereſt indicatio quę propemodum omnia ſubuertit, nempe morbi magnitudo. Itaque ſi recens eſt morbus, & putredo tantummodò ſuperficiaria, ſat eſt leuiter ſcarificare partem affectam, & adhibere Ægyptiacum vel ſimplex, vel melle roſaceo temperatum pro 6. Indicatio.

partis affectæ natura, próque ætatis & sexus ratione. Sin grauis sit morbus, minetúrque sphacelum, incidēda pars est altiùs, apponendúmque: Ægyptiacum compositum, aut ruptoria & cauteria potentialia: aut ipso actuali cauterio, siquidem fieri potest, auferendum quicquid corruptum est. Nihil enim clementer agendum in tam diro morbo, solitóq; vel partē affectā vel corpus vniuersum perdere: maximè quum degenerat in sphacelum. Quapropter si superiores indicationes vel tantillam spem faciunt, protinus adhibendum est extremum remedium iuxta Hippocratis Aphorismum: Extremis morbis extrema sunt adhibenda remedia. Sic enim remedium morbo analogum non poterit non esse vtile, quantumuis violentum. Sic Heluetio illi in capite vulnerato, de quo cap.3. vidi præstantissimum Chirurgum Ioannem Griffonium feliciter adhibuisse supra duram matrem syrupum ex Ægyptiaco, liquidissimam videlicet eius vnguenti partem, quæ pulueribus subsidentibus innatabat: vnde statim cohibita est putredo quæ duram matrem occuparat: alioqui remedio imbecilli nihil fuisse effecturum erat verisimile. At Ægyptiacum hîc appello extremum remedium, habita partis ratione cui apponebatur. Monitos interim chirurgos velim, ne hæc aliáve id genus valentia remedia adhibeant cerebri membranis, nisi manifesta putredine seu corruptione, tentatis, qualis in illo Heluetio cernebatur: alioqui superuenirent grauissima symptomata. Ac ne iis quidem diutiùs vtendū cēseo, imò intermittenda statim atq; morbi malitia cohibita videbitur.

Hippocr. Aphor. 6. sect. 1.

Porrò

Porrò quia omnis in vniuersum gangræna & sphacelus putrefactionis ratione veneni plus minúsve particeps est, pro ratione morbi maioris minorísve, conseruandę firmandæque partes primariæ, cerebrum, cor & iecur, vt ne vaporibus & exhalationibus à putredine ista sublatis tententur, ídque remediis tum internis, tum externis. Cor à vaporibus malignis egregiè tuetur lapis Bezoar, cuius quinque aut sex grana in vino albo propinantur, si absit febris: sin minùs, in aqua buglossi aut cardui benedicti. Quibus non suppetit Bezoar, per interualla scrupulus terræ sigillatæ aut boli Armenæ, aut cornu monocerotis exhibendus: huic tamen cerui cornu haud multum cedit contra venena. Succus citriorum cum saccharo & ptissana in eundem vsum efficacissimus. Theriaca & Mithridatium laudantur, si soluâtur aqua aut decoctione cardui benedicti & ægro præbeantur à scrupulo ad drachmam vnam. Sunt quoque conseruæ rosarum, violarum, buglossi & nenupharis vtilissimę: & si vehementior sit febris, cordialibus (theriacæ ac Mithridatio imprimis) addendum est aliquantum trochiscorum de Caphura: hæc enim putrediné inhibet. Extrinsecus applicandum epithema sequens:

Christop. Andræus in œciatr. cap. de cornibus. Ambros. Paræus lib. 21. cap. 62.

℞. aquarum rosʃ.
buglossæ &
borraginis, ana ℥ ij.
vini odorati ℥ j.
aceti ℥ ß.
spec. diamargar. frig. ʒ ß.
ligni aloës

cort. citri.
rasuræ ebor. ana ℈ ß.
croci gr. 6.

Misce: Fiat epithema. Applicetur tepidum cordis regioni cum panno purpureo.

In pauperiorum gratiam æstate accipitur copiosa borrago cum paululo melissæ: contundetur in mortario cum cyatho vini albi, & pauxillo aceti rosati: expressioni addetur cinnamomum & crocus puluerata: dein applicabuntur vt suprà.

Contemperandus quoque vehemens iecoris calor, ídque exhibito ægrotanti syrupo citriorũ, granatorum, aut acetosæ, cum aqua destillata aut decoctione endiuiæ, lactucæ, portulacæ, acetosæ aut cum ptissana, cui potest addi paulũ diamargariti frigidi. Interim prorsus abstineat vino aliísque calidis. Extrinsecus iecori applicetur epithema sequens:

℞. aquarum endiuiæ,
cichorij,
lactucæ,
absinthij, ana ℥ ij.
aceti ℥ ß.
spec. Diarrhod. Abbatis ʒ j.
santali rubri ʒ ß.

Misce. Si fueris ruri desintque aquę, harum loco herbæ illę aut omnes, vel pleræque vsurpẽtur, succus exprimatur: aut fiat earundem decoctio: deinde addito pauxillo aceti & caphuræ, applicetur iecori.

Si capitis dolor vehemens sit, nec æger somnum capiat, vapores clysteribus & suppositoriis re-

reuellentur: inungantur malæ & frons populeo, vel sequenti:

℞. olei rosar.
nenuphar. ana ℥ S.
caphuræ,
opij dissolut. in aqua betonicæ, ana gr. 6.
Misce: Fiat linimentum.

In eundem vsum applicato frontale huiusmodi:

℞. aquarum ros.
betonicæ, ana ℥ ij.
aceti,
olei rosati &
nenupharis, ana ℥ j. Misce.

Æger, vti dictum, temperet vino & cæteris calidis aut concoctu difficilibus: quippe ex his vapores ad cerebrum copiosi transmittuntur: quos vt inhibeas, post cibum sumi poterit aliquantum ex miua cydoniorum sine speciebus, è conserua rosarum, Rob de Ribes, aut Berberis, & similibus.

CAP. X.

Curatio Gangrænæ particularis, nempe eius quæ ex alteratione vehementi per qualitatem manifestam ortum ducit.

IAM primo capite attigimus quæ ad gangrænæ curationem pertinent: sed cùm non veniat in chirurgi manus grauior aut difficilior morbus, haud erit abs re eandem paulò fusiùs persequi. Vbi igitur ex antè commemoratis signis perspexeris oriri gangrenam ex affluxu humo- *Curatio gangr. ex inflāmatione & phlegmone.*

rum phlegmonicorũ, conſiderandum ſiſtatúrne materia, an verò adhuc defluat in partem affectam. Defluere autẽ iudicabis, ſi dolor ingẽs, inflammatio item magna ac vehemens febris fuerit, axillarúmque aut ilium glandulę ſubtumidę ſint ac dolorificę. Tùm quauis arte primò inhibenda eſt defluxio: deinde eadem aliò deriuanda: tertiò euacuandum quod in loco affecto iam congeſtum eſt. Primum illum ſcopum aſſequemur aſtringentibus ſiue defenſiuis, quibus defluxio poteſt arceri à parte affecta. Chirurgus igitur ſtatim initio poſt prẹſcriptam victus rationem, qualis antè propoſita eſt, applicet loco affecto defenſiuum ſequens:

1. Scopus.

Antonius Chalmet. lib.1.c.3.

℞. boli Armen. ℥ iiij.
terræ ſigillatæ ℥ ij.
cornu cerui vſti &
raſuræ eboris, ana ʒ ij.
caphuræ ʒ iij.
ceræ ℥ iij.
olei roſati ℔ j.
aceti ℥ iiij.
aquæ roſar. ℥ ij.
album. ouorum num. 2.

Miſce: Fiat vnguentum, quod diu ſeruari poteſt. Aut quod parabilius eſt impenſæque minoris:

℞. Far. hord. ℥ iiij.
boli Arm. ℥ ij.
pulu. gallar. virid.
nucum cupreſſi
cortic. granat. ana ʒ j ß.

Cum

Cum oxymelite fiat cataplaſma.

Alterutro in eundem vſum promiſcuè aut alio quopiam ad arbitrium vti poteſt chirurgus: mihi poſterius vſitatum eſt. Oleoſa enim mihi omnia aut quouis modo pinguia ſuſpecta ſunt in gangræna: quoniam inhibent tranſpirationem poros obſtruendo & aſtringendo. Ceſſante defluxione poſſunt defenſiua intermitti, vt innatum calidum minore negotio penetrare queat in partem affectam. Sin aliquod corruptionis principium ſeſe patefaciet, tùm erunt cõtinuanda ad arcendos vapores, qui ex putredine ad partes primarias attolluntur.

Alter ſcopus eſt, aliò reuellere & deriuare humores in partem affectam affluentes, ídque quàm citiſſimè, adhibitis purgationibus, phlebotomia, cucurbitis, hirudinibus, aliíſque id genus remediis. Corpus purgãdum medicamentis lenientibus, putà bolo ſequenti: 2. Scopus.

℞. Caſſiæ recèns extractæ ʒ ij.
catholici ℥ ß
Cum Saccharo, fiat bolus.

Aut diſſoluendo in aqua bugloſſæ, aut decocto endiuidæ, lupul. ſcabioſæ, cichorij, & florum cordialium, fiat potio. Aluus laxa ſeruanda: lubrica reddetur quoad eius fieri poterit vſu ſeu clyſterum & balanorum, ſeu etiam prunorum dulcium decoctorum in infuſione Sennæ, Mechoacam & Rhabarbari, quibus libenter vtor ſi quando eſt animus purgare validiùs. Secanda vena, niſi ætas, tempus, aliúdve quippiam obſtiterit, & multus extrahendus ſanguis, ſumta indicatione à magnitudine morbi & virium ægro-

ti. Vena aperiatur quæ consensum habeat cum parte affecta, obseruata interim fibrarum recti-tudine. Hîc quoque vtiles cucurbitæ, iis præsertim qui phlebotomiam ferre nequeunt. Sic & hirudines ano adhibitæ ad euacuandum humorem atrabilarium. Arctior quoque ligatura remotarum partium vtilis: at frictiones noxiæ, quòd sanguinem accendant, & subtiliorem reddant.

3. Scopus. Tertius scopus est, vt pars in pristinum ac naturalem statum restituatur. Id fiet euacuato accuratè sanguine & cæteris humoribus parti affectæ impactis ac in ea conclusis. Itaque quamprimùm prospiciendum est quid facto sit opus, & scalpelli acie tentandum sitne gangręna profundior, an superficiaria: tùm pro diuersitatis ratione scarificationes leuiùs aut altiùs imprimendæ: dein satis magna sanguinis quantitas sinenda effluere. Quinetiam si qua sit in parte affecta grandior insigniórque vena, ea audacter & sine mora incidenda: sic enim exoneratur & refrigeratur pars affecta, & aperitur pororum obstructio, quæ arteriarum systolen & diastolen inhibeat. Id tamen non nisi in grauiore morbo & viribus ęgri firmissimis aggrediendum. Neruos autem maiores, tendones & arterias nefas attingere, quandiu nulladum cernitur corruptio. Alioqui metuendum à conuulsione, motus deperditione, doloribus acutissimis, sanguinis profluuio, & spirituum vitalium resolutione, imò & syncope.

Paulus Ægineta lib. 4. c. 19

Præter scarificationes Guido noster & cęteri Scriptores iubent apponi hirudines, quò plus de-

depleatur ſanguinis & humorum: id quod & ipſe ſoleo facere, quoties potiſſimũ ſanguis parciùs educitur ſcarificatione. Si deſint hirudines, aut ſi æger eas reſpuat, ſoleo tres aut quatuor cucurbitulas minores applicare: maiores enim cucurbitæ violentiùs attrahunt. Hirudines tamen aptiores & propoſito conuenientiores. Euacuato ſanguine abluenda pars aceto & ſale marino ſimul liquatis. Hęc enim putrefactioni plurimùm repugnant. At ſi profundior fuerit gangræna, efficacior adhibenda lotio, qualis ea eſt quæ ſequitur: *Hippocr. de liquid. vſu, & de diæta lib. 2.*

℞. lixiuij fortiſſ.
aceti optimi, ana ℔ iij.
ſcordij,
abſinthij,
rutæ,
lupin. contuſorum, ana M S.
radic. Ariſtot. rotund.
vincetoxici, ana ℥ S.
ſalis marini ℥ iiij.
Coquantur ad conſumtionem tertiæ partis.
In colatura diſſolue
Aloës
myrrhæ, ana ℥ S
aquæ vitæ ℥ ij.

Quoties remedia permutare neceſſe fuerit, lauari oportebit partem fotu illo tepido: nam præterquàm quòd plurimùm reſiſtit putredini, etiam reuocat innatum calidũ, reſoluit & exiccat corruptos humores inibi concluſos. Inſuper toti parti affectæ ſcarificatæ imponendum vnguentum Ægyptiacum Meſuęi, quod componi- *Ægyptiacum Meſuæi.*

tur hunc in modum:

℞. Æruginis ℥ v.
mellis optimi ℥ xiiij.
aceti ℥ vij.

Coquantur omnia ſimul, donec fiat vnguentum ſpiſſum & colore purpureum.

Quòd ſi corruptio maior eſt, ſoleo idem vnguentum ſic conficere:

Ægyptiacum magiſtrale.

℞. Æruginis ℥ iiij.
mellis optimi, & cum decocto abſint. & ſcordij deſpumati ℔ j.
aceti ſcillitici ℥ vj.
alummis rochæ,
ſalis ammoniaci, ana ℥ ß.
ſucci rutæ &
ſcordij, ana ℥ ij.

Coquantur ad ſpiſſitudinem: dein admiſce
theriaces optimæ,
mithridatij, ana ℥ ß
Caphuræ (plurimùm enim penetrat & putredinem inhibet) ℥ j.

Io. Fern. method. med. lib. 11. cap. 5. & lib. 22. cap. 24. Ioã. Meſ. de Antidot. lib. 3. Ambroſ. Par. lib. 11. cap. 27 Ioan. de Vigo lib. 2. cap. 17. Leonh. Fuch. de medic. morb. lib. 3. cap. 5.

Sic præparatum vnguentum non ſolùm reſiſtit putrefactioni, ſed & temperat ac minuit vaporum malignitatem, qui perpetuò attolluntur à parte obſeſſa gangræna, & lædunt partes principes. Breuiter Ægyptiacum præſtantiſſimum & primarium eſt in gangrænæ remediis, ſeparátque mortuam carnem à viua & laudabili gignens eſcharam. Vbi tota pars Ægyptiaco cõtecta fuerit, inſuper applicandum cataplaſma ſequens, quod & ipſum reſiſtit putredini, exiccat humores excrementitios doloréſque ſedat.

℞. Farinæ lupinorum,

len-

lentium,
fabarum,
lolij,
ſalis marini,ana ℥ iij.
pulu.ſummit.abſinthij,
ſcordij,
rutæ,ana ℥ j.

Coquantur in oxymelite ſimplici: Fiat cataplaſma.Refrigerato adde Aloës, myrrhę, ana ℥ j. Aquæ vitæ ℥ iij. Miſce.

Farinæ non ſunt diu coquendæ: fieret enim nimis viſcoſum cataplaſma. Atque ego hanc autumo cauſam eſſe cur Nicolaus Goddinus in chirurgia ſua militari has repudiet, vtpote ad gangrænam inutiles: ſiquidem emplaſticas putat. Quamobrem leuiſſimè tantùm excoquendæ ſunt cum pulueribus. Hæc autem remedia omnia, ablutio, cataplaſma, &c. tepidè ſunt admouenda: linteíſque prætereà calidis obuoluenda pars affecta, etiamſi gangræna orta ſit ex inflammatione. Sic enim penè extinctum & intermortuum innatum calidum reuocatur, & quaſi rurſum accenditur in parte affecta. *Ambroſ. Par. lib. 12.c.27.*

Chirurgus quoties ad ægrum accedet, his remediis excitatæ eſcharæ ſummam partem tollere conabitur, aut ſcalpelli acie incîdet vſque ad partem ſanam, quò detur medicamẽto quacunque penetrandi via ad corrigendum quicquid deprauatum & corruptum eſt; nec alia procedet methodo, donec viderit morbum ſuperatum & euictum. Id verò ex eo deprehendet, quòd malum non latiùs ſerpet: & circa ipſum apparebit circulus exactè rubens & exquiſiti ſenſus: hoc

est, fiat separatio partis mortuæ à viua carne. Præterea verò reperietur inibi materia densior: adeóque laudabilis.

Cauter potentialis. Corriguntur etiam corruptio & caro emortua cautere tum potentiali, tum actuali. 1. De Vigo & quidam alij laudant Ægyptiacum fortificatum Arsenico. At si Arsenici effecta consideres, meritò reiicies eam compositionem. Enimuerò Arsenicum censetur in numero medicamentorum quæ Galeno septica dicuntur, hoc est, putrefacientia: his enim corrumpitur temperies partis affectæ, & ad eam extraneæ humiditates alliciuntur. Gangræna autem ferè nihil aliud est, quàm putrefactionis initium, quæ plurimùm ex calido & humido gignitur. Frustra igitur speres Arsenicum, quod ex causis suprà allatis putrefacit, quicquam laudabile ibi efficere: cùm sit potiùs putrefactionem promoturum. Præterea Practici qui vlceribus, scrophulis & fistulis applicuerunt vnguenta & trochiscos ex Arsenico paratos, facilè potuerunt obseruare, quàm grauia exoriãtur ab eo symptomata, nempe dolor ingens viginti quatuor horis perseuerans, febris, delirium, deliquia & syncopæ. Hæc autem symptomata ex eo sunt omnia, quòd Arsenicum transmittat vapores suos malignos ad partes principes, liquata priùs carne in materiã quæ illi pro vehiculo est ad deferendam illius qualitatem malignam ad eas partes primarias. Et quanuis vlcera sint remotiora à partibus primariis, eius tamen malignitas ad eas facilè peruadit per medias venas, neruos & arterias. Hinc intelligimus Arsenicum nihil ad gangrænã conferre.

Gal. li. 4. de comp. med. secund. loc. Aëtius lib. 14. c. 53. & Galen. de simp. medic. facul. lib. 5. c. 14

ferre. Itaque ſiquando applicanda ſunt cauteria potentialia, feliciùs &tutiùs vſurpanda mihi videntur cauſtica parata ex fortiſſimo lixiuio è cineribus ſarmentorũ,& calce viua. Huiuſmodi enim ruptoria operantur præſentiſſimè &leui cũ dolore, quique vix ad horulæ ſpatium perſeuerat:contrà Arſenico excruciatur æger 24 horas, imò & totum biduum, cum ſymptomatis longè grauiſſimis. Adhæc cùm Arſenico diſſoluatur liquetúrque caro, ruptoria contrà extenuant, deſiccant & diſſipant humores ſuperfluos. Item cùm Arſenicum ſoleat peruadere ad partes principes, vti dictum eſt, ruptoria cùm ſint craſſioris ſubſtantiæ, in ea tantùm agunt quæ proximè contingunt.

Cauter verò actualis, vti eſt ſupremum remedium, ita maximum putatur dignitate & præſtantia, ſiue ad inhibendum putrefactionem, ſiue ad exiccandam & roborandam partem affectam: ſiquidem operatio eius non altiùs peruadit quàm quò ignis pertingit : ac deſinit quoque dolor ſimulatque ferrum amouetur. At medicamentorum contraria vis, vt antè diximus. Atque hîc omnino certum eſt ac verum axioma Veterum : Quæ medicamenta nõ ſanant, ferrum ſanat : quæ ferrum non ſanat, ignis ſanat : quæ ignis non ſanat, ea inſanabilia putare oportet. Tamen in gangræna ex intemperie calida ſine affluxu, pariter atque in illa quæ ex ſiccitate & atrophia exiſtit, cauteres nonnihil ſuſpecti ſunt.

Cauter. actualis.

Hippocr. Aphor. ſect. 8. Aphor. 8.

Eſchara his remediis facta, curandum eſt quamprimùm vt excidat. Id tamen fieri non debet remediis applicari ſolitis ad relaxandam eſ-

charam, putà butyro recenti, basilico, oleo dulci, adipe suis, anseris, caponis, & cęteris id genus, quæ cùm sint calida & humida, possunt nouam generare putredinem, simúlque vlcus sordidum reddere. Itaque ex Galeni sententia applicandus est succus porrorum cum sale: hic enim penetrat & exiccat plurimùm, sicque putrefactioni repugnat. Adde quòd relaxat, & adiuuat escharæ casum humectatione sua, inquit Hippocrates. Morbi vi superata Paulus Ægineta vult applicari farinam hordeaceam decoctam in hydrelæo, aut (quod magis probatur) farinam orobi cum melle. Vtile quoque ad escharæ casum vnguentum sequens, itémque ad vlcus abstergendum & mundificandum:

Galen. de arte curandi ad Glauc. li. 2. c. 9.

De diæta lib. 2.

℞. Farinæ erui,
radic. Aristol. rotundæ,
iridis Flor.
vincetoxici, ana ℥ S
theriaces ʒ ij.
cum s.q. mellis rosati, fiat vnguentum.

Veruntamen hìc meminisse oportet eorum quæ suprà monuimus, videlicet non expectandũ, dum naturæ beneficio aut medicaminis ope eschara separetur. Natura enim cùm sit debilis, tardior esset, ac interim posset regigni noua putredo sub eschara. Adde quòd eschara cùm non debeat humectari oleis, pinguedine, & similibus, exiccatur, ac proinde contrahitur & corrugatur: quod ipsum dolore non vacat.

Cura gãgr. ex Erysipelate malè curato.

Si fuerit gangræna ex Erysipelate malè curato, aut ex proprio partis calore incenso, diæta præcipiatur frigida & humida, exhibeantúrque sępe

ſępe hordeata aliáque iuſcula ex veruecina aut volatilium carne, incoctis lactucis, portulaca, acetoſa, borragine & ſimilibus. Corpus quoque ſic purgandum:

℞. Catholici ʒ vj.
rhabarb. in ℥ iiij. aquæ endiuiæ cum paululo cinnamomi infuſi & expreſſi ʒ j.
ſyrupi roſati ſolut. ℥. ij. Fiat potio.

Pars affecta ſcarificetur ad viuum, exin lauetur decoctione ſequenti:

℞. Aquarum endiuiæ,
lactucæ,
ſolani, ana ℔ j.
aceti ℔ S.
lupinorum ℥ j.
rutæ,
ſcordij,
ſalis, ana M S.
Coquantur ad conſumtionem tertiæ partis.

Parti ad hunc modum lotæ applicandum Ægyptiacum Meſuæi, dein cataplaſma ſequens:

℞. Farinæ ſabarum,
lupinorum,
hordei, ana ℥ iij.
ſcordij pulu. ℥ ij.
Cum oxymelite fiat cataplaſma.

Sin continuatis doloribus & cæteris ſymptomatis pars affecta repletur humoribus, quãtumuis prima cauſa fuerit humor bilioſus, aut inflãmatio ſine affluxu, nempe ex proprio partis calore, ad valẽtiora progrediendum remedia, nẽpe cauteria actualia vel potẽtialia, & eſcharæ caſus procurandus ad modum antè propoſitum. Ve-

Albucasis lib. 1. cap.1.

rùm tamen ſeriùs, nec niſi ſumma neceſſitate applicandus eſt cauter actualis: quia cùm inflammationes bilioſæ ſint ſuapte natura ſiccæ, eas cauter magis magíſque deſiccat.

Curatio gangrænæ ex congelatione.

Si ex congelatione ſit gangræna, (prçter vniuerſalia, quæ iudicabit neceſſaria chirurgus) videndum eſt accuratè incipiátne tãtùm affectus, an iam aliquantiſper perſeuerarit: id autem ab ægro & adſtantibus promtum eſt reſcire. Aliàs morbus poteſt intelligi incipiens duntaxat, ſi pars eximio rubore ſcintillet, dolor autem ſit vehementiſſimus, punctorius & exurens. Sin vtcunque inueteratus eſt morbus, pars erit liuida & frigida, vti cap.6. diximus. Ergò ſi incipiat tantùm morbus, non ſtatim admouendus ignis, aut calida quçlibet apponenda: quin potiùs aqua frigidiſſima irriganda eſt pars, aut niue perfricãda: ſic enim ea poterit reſtitui, & paulatim incaleſcet. Hoc ipſum facilè quilibet hyeme experitur, ſi manus frigore propè congelatas fricet niue aut aqua gelida. Sic enim ſubitò incaleſcẽt: at igni admotç magnum ſentiẽt dolorem eúmq; punctorium. Præterea ſiquis poma aut rapas cõgelatas iniiciat in aquam frigidiſſimam, videbit ipſum gelu internum foras quaſi allici: ita vt fructus illi redeant ad ſuam naturam priſtinam. Sin verò demergãtur in aquam calidam aut tepidã, confeſtim flacceſcent, & paulò pòſt nigrore cõtracto computreſcent. Iſtiuſmodi porrò curatio Liuoniæ, Irlandię, Noruegię, & cçterarũ ſeptentrionalium plagarũ incolis vſitatiſſima eſt. Neq; enim veſperi ingrediuntur in diuerſoriũ, aut ad ignem vel vaporariũ accedunt, niſi egregie perfricatis

Leuin. Lemnius de occult. nat. mirac. lib. 4 cap.20.

Ambroſ. Paræus lib.12. ca. 24.

fricatis

fricatis priùs manibus, extremo naso & auriculis plurima niue. Quòd si cui vecto traha, pro regionis ritu, manus pedésque propè congelati fuerint, cùm primùm diuersorium ingressus est, non dubitant illicò immergere partes gelidas in aquam frigidã aut niuem: & sic eũ refouent. Frigore enim quod inest aquę vel niui per antiperistasin repellente & cogente in vnũ quod reliquũ est innati calidi in partibus affectis, ipsum innatum calidũ ita inualescit, vt frigus ceu aduersarium expellat. Narrauit mihi vir quidam nobilis & fide dignus se, cùm eas regiones peragraret, incidisse aliquando in viatorem secũdùm viam frigore rigidũ ac penè mortuũ: quẽ plaustro suo impositum cùm deduxisset in diuersoriũ, hospes illicò demersit in frigidã: quo facto, vndiquaq; ita erupit gelu, vt ipsius corpus glacie ceu ferreo thorace contectum conspiceretur. Tùm quoque propinatum illi aiebat cyathum ampliorem hydromelitis, quo illi ceu potu ordinario vtuntur, addito puluere cinnamomi, caryophyllorum & macis, vnde sudor in lecto prouocatus est: atque ita ægrum ad se rediisse, amissis duntaxat manuum & pedum extremis articulis. Hinc intelligimus, hanc methodum sanandi congelatos veram & tutam esse: ac eam etiam probat summus Philosophus, qui regiones illas frequentauit: modò ne frigore prorsus rigescant partes ac nonnullus calor subsit. Nam si innatum calidum extinctum aut extinctioni proximum sit, tùm aqua frigida nunquam reuocabit, imò vix etiam medicamentum vllum. Quauis tamen ratione illiciendum erit in partem affectam fri-

Obseruatio.

Leuin. Lemn. loco iam citato.

ctionibus & cæteris, quæ paulò pòst in medium afferentur.

Coniiciens autem chirurgus ex ſedato dolore pungente, ipſam quoque congelationem magna ex parte mitigatam, miſſam faciet aquam frigidam, aut niuem, & lenes frictiones adhibebit: deinde fotus è lacte dulci, cui lauri baccæ, roſmarinus, ſaluia, lauendula & ſimilia calida incocta fuerint. Ius è capite, pedibus & inteſtinis veruecinis, incoctis herbis iiſdem, aptiſſimũ eſt alliciendo ſanguini, partíque affectæ in priſtinum vigorem reſtituendæ.

Ioan. de Vigo. Raparum decoctio, aut eædem rapæ contuſæ cum paululo calcis viuæ & applicitæ, plurimùm iuuant. Rapæ enim quodlibet gelu foras extrahunt. His peractis componendus æger in lecto, próbéque contegendus, circumponendæque partibus congelatis veſicæ plenæ iure illo modò dicto, aut lacte dulci. Deinde per os exhibẽdum quod calidũ innatũ & ſanguinẽ vitalẽ partium intimarum ad extimas impellat. In eum verò vſum laudatiſſima Theriaca electa, in vino albo eóque generoſo diſſoluta. Perendie continuandi fotus ex iure inteſtinorum & herbarum ſuprà dictarum. Dein illinenda pars affecta oleo de lateribus, de terebinthina, de cera, ſem. vrticæ, naſturtij, &c. Quin & aliquoties theriacæ vſus ex vino iterabitur. Sin frigore vehementiſſimo & diuturno planè ſuffocatum ſit innatum calidum, ipſáque gangræna multùm inualuerit, tùm adhibenda eſt ſcarificatio, aliáque antè propoſita remedia. Defenſiuorum vſus hìc nullus: niſi fortè corpore plethorico exiſtente parti affectæ vehemens

hemens quiſpiam & ingens affluxus contigerit. Partis verò calor conſeruandus, adhibitis aſſiduò veſicis plenis ſequente decoctione:

℞. Foliorum lauri,
melisſæ,
roriſmarini,
rutæ,
origani,
ſcordij,
abſinthij,ana M S.
radic. vincetoxici,
angelicæ,ana ℥ ij.

Coquantur in vino albo ad cōſumtionem tertiæ partis.

Quoniam in gangræna ex intemperie frigida & humida morbi origo vtplurimùm conſiſtit in partibus intimis, hepate, ſplene & cæteris, habenda eſt imprimis ratio harũ partium, & præcipienda diæta, purgationes & cætera, prout earundem diſpoſitio poſtulabit. Hîc autem conſulendus doctus aliquis medicus. Quoad remedia topica, chirurgus, ſi adſit magnus humorum pituitoſorum affluxus, applicet defenſiuum: ex calidis tamen & ſiccis compoſitum, quale quod ſequitur: *Curatio gangr. ex intẽperie frigida & humida.* *Defenſiuum de Vigo.*

℞. Roſarum,
myrtillorum,
abſinthij,
ſchœnanthi,
ſtœchados,ana M S
ſampſuchi,
anthos,ana parum.
nucum cupreſſi aliquantulũ contritarũ nu.10.

alum.rupei.
salis, ana ʒ ij.
cinnamomi ℈ j.
croci ℈ S.

Bulliant omnia simul cum vini & lixiuij barbitonsoris æquis partibus, addito pauco aceto, ad consumtionẽ tertiæ partis. Deinde colentur: & ex colatura cum farina fabarum, lentiũ & hordei ad ignem fiat emplastrum solidum, addendo ol. rosati completi, chamæmelini, de spica, ana ℥ ij.

Sin affluxus nullus, nihil defensiuo opus, nisi putrefactio plurimùm progressa fuerit, pársque sphacelo sit proxima: tùm enim defensiuo cohibendi vapores putridi, quominùs ad partes principes peruadant. Applicato defensiuo, quauis ratione desiccanda est humorum copia ingens loco affecto conclusa, exhalandúsque calor extraneus, qui putrefactionis fuit in causa. Itaq; scarificatis locis omnibus suspectis siue altiùs siue superficietenus, prout malũ magis minúsue altas radices egerit, fouenda est & lauanda calidè pars affecta decoctione sequente:

℞. Lixiuij barbitonsoris ℔ viij.
calcis viuæ ℔ j.

Coquantur parum:

In colatura iterum coque lupin. M j.
scordij,
absinthij,
rutæ,
salis marini, ana M. S.

Tandem coquantur ad consumtionem tertiæ partis. Colaturæ fortiter expressæ admisce

Aquæ

aquæ vitæ,
aceti ſcilliteri, ana ℥ iij.
aloës,
myrrhæ, ana ʒ ij.

Poſtea vbique applicandum Ægyptiacum noſtrum antè deſcriptum, aut etiam ruptorium, ſi ſit neceſſe eſcharam profundiorem excitare: ac tandem inducenda pars ſequenti cataplaſmate:

℞. Far. lupinorum &
lolij, ana ℥ iiij.
ſummitat. abſinthij,
ſcordij,
rutæ minutiſſimè inciſę, aut in pulu. redactę, ana M. ij.
pulu. radic. Vincetoxici,
angelicæ, ana ℥ ij.
ſalis marini M. ij.

Coquãtur leuiter cum lixiuio iam pręſcripto. Deinde cùm penè refrixerit, admiſce
aloës,
myrrhę, ana ℥ S.
aquę vitę ℥ iiij.
Miſce: fiat cataplaſma.

Pars ſic curata calida eſt in lecto continenda: in ídque plurimùm laudo fragmẽta lapidis molaris calefacta, & parti circumpoſita. Is enim lapis pręterquàm quòd calidũ innatum reuocat, exiccat quoque & reſoluit plurimùm. Chirurgus dum cataplaſma detrahet, conabitur ſcalpelli acie aut alio id genus inſtrumento accommodato eſcharam Ægyptiaco vel ruptoriis excitatam ſeparare: deinde abluet denuò partem antedicto fotu, adhibebítque Ægyptiacum &

cataplasma, vt antè: nec aliter se geret, donec sisti malum animaduerterit. Tandem nitetur separare escharam pharmacis anteà commemoratis: continuãdo interim cataplasma quod putrefactioni repugnet. Quòd si Ægyptiacum aut ruptoria non satis valeant contra vim putredinis, adhibendus erit cauter actualis, qui mihi in hoc gangrænæ genere admodum probatur: propterea quòd egregiè desiccat, resoluit & roborat partem affectam, eiúsque calor agens penetrat altiùs quouis remedio.

Curatio gangrænæ ex intemperie sicca.

In gangræna ex intemperie sicca, nimirum ex atrophia, quauis ratione humectandum est corpus, tum commodo victu, tum his quæ sequuntur. Igitur est necesse diætam ægri & aërem in quo moratur tendere ad calorem & humiditatem: debet ergo cibis vti sanguinem & alimentum plurimum gignentibus, concoctu facilibus, vt iuribus colatitiis & restaurantibus, aliísque bonis iusculis è veruecina, gallinaceis pullis & capis: hordeo item mundato bene cocto, dein colato: muliebri quoque lacte, vel si desit, asinino. Cubiculum meridiem spectet. In summa humectandum est corpus, vitatis quę exiccant, qualia sunt vehementer purgantia, sudorifica & diuretica omnia. Extrinsecus inungendum corpus oleo amygdalarum dulcium, liliorum & violarum: vt hoc modo comprimantur pori, & innatum calidũ intus conseruetur. Partes quę sunt supra affectam partem, putà tota tibia ad femur vsque, si pes æger sit, inungendę sunt succo lumbricorum terrestrium ad eum modum parato, qui extremo hoc capite describetur. Succus

ille longè optimus est, quia calefacit & humectat, aperítque simul & semel vasorum obstructiones, vt eò liberiùs sanguis & spiritus permeent. Quòd ad partem affectam, videndum nũ sola intemperies sicca proxima sit causa gangrenæ, an verò iam gangræna inuaserit. Si sola siccitas, quauis ratione humectandum est, & alliciendum alimentum in partem ægram. Quare fouenda iure tepido intestinorum, capitis & pedum veruecis, cui incocti lumbrici aliquot terrestres efficaciam addent. Deinde applicandæ cucurbitulæ citra scarificationem, & dum fit attractio, tegendus locus linteo duplicato, spõgia, aut filtro intincto in iure antedicto. His continuatis vsquedum rubeat locus, illico demendæ sunt cucurbitulę, simúlque lintea calentia ne resoluatur & euacuetur quod attractũ fuerit: dein inungenda pars vnguento sequente:

℞. Olei amygdal. amarar.
synap. ana ℥ ij.
succi lumbricorum terrest. ℥ iiij. Misce.

Sequens deinde emplastrum applicandum:

℞. Picis liquidæ ℥ vj.
farinæ lolij & lupinorum quantum satis erit ad inspissandum.

Sin gangræna iam inuaserit, & putredinem concipiat locus, duplex aut triplex sumenda erit indicatio, prout erit morborum & symptomatum complicatio. Enimuerò quia totius morbi causa est atrophia, alimentum quauis ratione attrahendum est frictionibus mediocribus (asperæ enim protinus desiccant & euacuant quod attractum est) vel linteis calidis, vel manu inuncta

oleis suprà memoratis, cucurbitis, &c.

Quia etiam iam adest putredo, hæc euacuanda est siue scarificationibus, siue hirudinibus & Ægyptiaco applicito: deinde apponendum cataplasma sequens, putredini obsistens simul & nonnihil attrahens:

℞. Farinæ lupinorum &
lolij, ana ℥ iiij.
sum. absinthij
scordij,
folior. rutæ minutim incis. vel in pulu. redact.
ana M. j.
radic. vincetoxici &
angelicæ, ana ℥ S.
picis liquidæ quantùm satis est. Fiat vnguentum.

Albucasis lib. 1. c. 1. Hîc improbamus ex Albucasis doctrina cauterem actualem, quòd resoluat & desicet nimioperè. Itaque quum erit subitò inducenda eschara, applicanda erunt ruptoria, vel nouacula resecandum est quicquid corruptum est: deindéque apponendum Ægyptiacum, & procurandus escharæ casus, velut antè monuimus. Hæc gangrenæ species planè abhorret à defensiuis, siquidem defensiua astrictione sua prohibent spiritus & alimentum à parte affecta. In desperata tamen gangræna, quæ in sphacelum degenerauit, deueniendum ad extremum remedium, membri videlicet extirpationem: túmque defensiuis est locus, vt arceantur putredinis vapores à partibus principibus.

Antequàm autem pars amputetur, necesse habet chirurgus ventura pericula prædicere, eá-

que

que palàm commemorare apud ægri amicos & adſtantes omnes: nam etſi amputetur altiùs pars affecta ad viuam vſque carnem, tamen malum ſerpere non deſinit. Atque vt paucis dicam, gangręna omnis ex ſiccitate, plurimùm lethalis: vti ante dictum octauo capite.

Sedata gangræna, mundificandum & incarnandum vlcus mundificatiuo noſtro de ſucco Apij, infrà cap. 15 deſcribendo, aut melle roſato, addito pauxillo aquæ vitæ & theriaces, ídque citra pinguedinem vllam. Tandem incarnandum & cicatrice obducendum inſtar aliorum vlcerum.

Succus lumbricorum terreſtrium ſuprà memoratus variè componitur. VVierus in tractatu de Scorbuto lumbricos vſurpat cœmeteriorum pinguiſſimos, quos aqua primùm, deinde vino apprimè lotos minutatim incidit, & phialę indit paſta obuolutæ: hanc furno inſerit cum alio pane: hócque cocto phialam ſimul extrahit paſta obuolutam: ac vbi refriguit, mergit in aqua, híncque molleſcente paſta, ac phialam deſerente, lumbrici reſoluti in liquorem ſeſe offerunt. *Præparatio ſucci lumbr. terr. ex VViero.*

Coſmas Slotanus Illuſtriſſimi Cleuenſium, &c. principis Archichirurgus, vſurus hoc ſucco ad atrophiam & extenuationes particulares, aut ad gangręnam ex ſicca intemperie, ſumebat eoſdem lumbricos, eóſque vt ſuprà mundatos collocabat in magno recipiente: deinde ſat copioſum oleum amygdalarum dulcium & violarum affundebat: demum ſuper cinere calēte reſoluebat in liquorem: quo poſt fortem expreſſionem *Einſdem ſucci præ. ex Coſma Slotano.*

colato vtebatur. Hæc autem mihi longè præstantissima compositio videtur in siccitate particulari: quoniam hoc modo integra seruatur vtraque facultas & olei & lumbricorum. Succus lumbricorum propria & peculiari vi penetrat illicò, permeátque ad neruos & neruosa omnia, ipsásque adeò venas & arterias, quarum tunicæ neruosa constant substantia: & eas quidem partes succus ille roborat, alit & calefacit mediocriter, tollendo quæ in iis sunt obstructiones. Inest præterea compositioni huic qualitas viscosa ab oleis: cuius ratione statim atque succus penetrauit, oleum poros claudit & obstruit: atque ita cohibetur innatum calidum, & intra partem affectam veluti concluditur.

Cap. XI.

Curatio secundæ speciei Gangrænæ, ex alteratione videlicet vehementi per qualitatem occultam.

Capite quarto diximus esse aliã gangrænę speciem, quæ quidem ortum non ducit ex causis manifestis, intemperie videlicet calida, frigida, humida, aut sicca: verùm ex qualitate & malignitate occulta, nostrísque mentibus imperuestigabili: vnde sequitur non esse instituendam curationem solis pharmacis operantibus per qualitates manifestas, sed illis etiam quæ occultis agunt qualitatibus, siue ore sumantur, siue foris adhibeantur. In his autem excellunt Theriaca, Mithridatium, scordium, vincetoxicum, ange-

angelica, dictamnus Creticus, & ſuccus citriorum. In hac autem gangræna ſumma vigilantia opus eſt, quia plurimùm lethalis : quippe illicò appetit lædítque partes principes. Quamobrem chirurgus aggrediens ad curandam id genus gãgrænam, nec plenè compertam habens, vt ſibi à calumnia præcaueat faciátque quæ decet, ſuæ eruditioni diffidens conſulat præſtantiſſimum aliquem medicum, alióſve doctos & in arte chirurgica plurimùm exercitatos.

Vbi autem intellexerit gangrenam oriundam ex qualitate occulta, illicò infundat ægroto, ſi ſtipata eſt aluus, clyſterẽ lenitiuum aut ſuppoſitoria ſubdat, & ab illorum operatione ſequentẽ potum propinet:

℞. Radic. angelicæ
vincetoxici, ana ℥ ſ.
herb. ſcordij,
rutæ,
dictamni, ana p. j.

Coquantur in ſ. q. aquæ bugloſſi & cardui benedicti, vt colatura redeat ad ℥ ij. In quibus diſſolue
theriaces opt. ℨ j.
ſucci citrij ℥ ſ.

Æger ſumto potu tegatur aliquantiſper dum promoueatur ſudor, vt hoc modo maligna materies à partibus principibus arceatur: foris etiã applicetur cordi epithema, quale nono cap. deſcripſimus. Iteretur item idẽ ille potus aucta imminutáue ingredientium doſi pro ægri ætate & habitudine. Quamuis autem ad ſingulos hauſtus non procedat ſudor, minimè tamen is vtilis eſſe

desinet. Quippe huius ope materia maligna, siqua fuerit corpori ingenita, foras ad extrema detruditur procul à corde & cæteris primariis partibus: sin extrinsecus adueniat, corroborat etiam ac tuetur partes primarias, dum ab illis malignitatem arcet. Hic vehementes purgationes minimè conueniunt, vti nec phlebotomia, aut somnus diuturnior, ne fortè retrahatur venenũ ad partes primarias. Quòd ad victus rationem spectat, vitet æger cõcoctu difficilia, salita & piperata aut alioqui acria. Sorbeat cremorem hordei ritè cocti, aut iuscula ex veruecina, pullis gallinaceis, aut capis, incocta copiosa borragine & acetosa. Loco vini bibat ptissanam cui borraginis, acetosę & scordij paululum incoctum fuerit, Vtatur abundè & frequenter succo citrij, tum in ptissana, tum etiam in iurulentis. Huius succi loco potest etiam vsurpari syrupus ex eodem succo paratus.

Quòd ad Topica, chirurgus summo studio debet extrahere & euacuare malignã materiem. Itaque scarificabit profundiùs quacunque videtur obrepere gangræna, & quantum satis sit sanguinis effluere sinet: vel adhibebit hirudines & cucurbitas: prætereáque abluet partem decoctione sequente:

℞. Radic. angelicæ
vincetoxici, ana ℥ j.
lupinorum,
scordij,
absinthij,
dictamni,
rutæ, ana M. j.

Co-

Coquantur in lixiuio ad conſumtionem tertiæ partis.

In ℔ duabus colaturæ diſſolue
theriaces ℥ S.
ſucci citrij ℥ ij.

Poſtmodum indito ſcarificationum veſtigiis Ægyptiaco noſtro, quod capite pręcedenti deſcripſimus, applicetur emplaſtrum ſequens calidiuſculum:

℞. Farinæ lup.
ferm. acris,
alliorum ſub prunis coctorum, ana ℥ ij.
folior. rutæ,
ſcordij,
dictamni Cretenſis, ana M. S.
pulu. radic. angelicæ,
vincetoxici, ana ℥ S.
theriaces opt. & mithridatij, ana ℥ j.

Cum decocto ſcordij fiat emplaſtrum in mortario.

Exinde pergens chirurgus in ægri curatione, auferat eſcharam, ſi adſit: deinde ſcarificet denuo partem affectam ad educendum ſanguinem: & applicet cucurbitas ac hirudines: locum abluat & applicet Ægyptiacum cum cataplaſmate: & in iis perſeueret, donec malum ſuperatum fuerit. Tandem nitatur eſcharam remouere ſucco porrorum, vel (quod magis placet) nouaculâ. Exin vlcus diu apertum teneat, ex interuallis ægro præbens theriacam & Mithridatium, aliáque cor præſeruantia, vti terram ſigillatam, lapidem Bezoar, cornu monocerotis, cerui, &c.

Cùm verò gangræna oriunda eſt ex materia

maligna extra corpus genita, velut à morſu venenato, aut ſepticis adhibitis, vnde periculum ne malignitas communicetur partibus principibus, neceſſe eſt cauterij actualis ope vrere & abſumere ſubitò quicquid eius malignitatis eſt particeps: aut etiam (quod magis probatur) abradi poteſt nouacula quicquid ſuſpectum eſt, ita vt copioſus ſanguis erumpat: dein adhibebitur cauter actualis. Demum abluendum erit vlcus prædicto lixiuio, tandémque applicandum Ægyptiacum noſtrum, ſuperimpoſito cataplaſmate præſcripto: forti quoque defenſiuo arcendi ſunt vapores maligni à partibus principibus. Sin gangræna orta fuerit ex materia maligna corpori ingenita, quæ ad partes externas feratur, defenſiuo aut quibuſuis aſtringẽtibus nullus eſt locus. Sedata gangręna, ſupereſt vt mundificetur & incarnetur vlcus mundificatiuo noſtro de ſucco apij, aut melle roſato mixto cum pauxillo aquæ vitæ & Theriacæ: deinde cicatrice obducatur inſtar reliquorum vlcerum.

Cap. XII.

Curatio tertiæ & vltimæ ſpeciei Gangrænæ ex ſpirituum interceptione.

IN huius gangrænæ curatione præſcriptis vniuerſalibus, nempe diæta, ſiue vſu ſex rerum non naturalium, item phlebotomia, purgationibus & cæteris pro morbi ratione & ægroti viribus, diligenter inquirenda erit cauſa ob quam ſpiritus arcentur à parte affecta, eáque ſi fieri

poſſit,

poſſit, ſtatim tollenda. Itaque ſi arctior ſit ligatura, laxanda eſt: deinde adhibēda pharmaca reſoluentia, exiccantia & incidentia quicquid ligatura illa attractum eſt. Tale eſt cataplaſma è farinis lupinorum, fabarum, oroborum, & lentiũ coctis cum oxymelite, aut ſyrupo acetoſo. Sin inualeſcat nihilominùs ægritudo, ſtatim ſcarificandus locus, & apponēdæ hirudines, Ægyptiacum aliáque remedia, vti dictum eſt, cap. 10. in curatione gangrænę ex intemperie calida & humida. Si in cauſa ſit defenſiuum aſtringens aut emplaſtica adhibita, hæc pariter protinus auferenda ſunt: deinde frictionibus moderatis & calidis reuocandum innatum calidum, aut locus fouendus forti lixiuio, cui incoquantur lupini, ſcordium & folia rutæ, cum pauxillo aceti ſub finem addito, vt hoc modo rurſum aperiantur pori & detergeatur ab emplaſtico medicamēto inducta viſcoſitas.

Si ſint tumores ſcirrhoſi circa maiores arterias, venas & cætera vaſa, qui ſpiritus ipſos arceant & inhibeant, emolliantur ij & reſoluantur hoc vel ſimili vnguento:

℞. Pingu. gallinæ
anatis,
vrſi, ana ℥ j.
ol. liliorum albor. ℥ ß
ſucci lumbricorum ℥ j. ß. Miſce.

Deinde applicetur emplaſtrum ex mucillaginibus, aut ex Ammoniaco diſſoluto in aceto. At ſi tumor in quapiam parte ſit, in qua tutò poſſit operatio perfici, præſtiterit incidere ſtatim: deinde ſeparare tumorem radicitus, ligatúmque

resecare, vt expeditior sit spiritibus via. Hîc autem diligenter cauendũ, ne attingãtur aut transuersim secentur vasa: id enim aut subitam mortem, aut gangrænam insanabilem afferre posset.

Si fuerit retentio aut obstructio spirituum animaliũ, vt in paralysi & spasmo accidit, neruorum origo simul cum ipsa parte affecta inungatur oleo de cera, de terebinthina, de lateribus, vulpino, costino, & succo lumbricorum terrestrium, & similibus: si priùs foueris illam neruorum originem decoctione florum chamæmeli, saluiæ, rorismarini, lauendulæ, maioranæ, thymi, origani, granorum iuniperi, idque è vino.

Quòd si gangræna accidat coccygi aut clunibus, æger decumbet modò in dextrum, modò in sinistrum latus ad leuandam partem affectam. Sic & in tali gangræna, siue gangræna sit ex spirituum interceptione, siue ex cõtusione, siue ex alia quapiam causa, pes ita locandus & ad latus reclinandus vt ne talus offendatur. Si sit paralysis in vesica & guttatim stillet lotium, id diligenter excipiendum est comparatis in id vasculis. Nam si tibiæ simul & semel fuerint resolutę, vnde cogatur æger in lecto decumbere, lotium incalescet, tandémque exulcerabit coccygem, qui deinde procliuis erit in gangrænam, vti sæpius accidisse memini.

Si causa sit luxatio, ea restituenda est, & os cohibendum loco suo fasciis & ptygmatiis accõmodatis: restituto verò esse, astringentia parcè adhibenda, ac potiùs inungenda pars succo lumbricorum terrestrium, cui addi poterit tantillum olei rosati aut myrtillorum. Si autem pars infra luxa-

luxationem ſit præſicca, macilenta & extenuata, ea ſcarificanda, fricanda, & cętera neceſſaria peragenda, quæ cap.10. declarauimus, dum de gangrænæ ex intemperie ſicca curatione ageremus.

CAP. XIII.

Sphaceli curatio.

SI quantumuis ſedulam chirurgi vigilantiam & adhibita remedia natura morbo ſuccumbens ita eludat, vt deſinat gangræna in ſphacelũ ſiue mortificationem perfectam, tùm non erit ampliùs ſumenda indicatio à cauſis antecedẽtibus, aut pro illarum ratione mutanda remedia. Siue enim gangræna orta fuerit ex intẽperie calida, ſiue frigida, &c. ſphacelus ſemper eſt idem, nempe mortificatio. Cùm igitur ſphacelus (vti ſæpius dictum) ſit perfecta corruptio & mortificatio ſubſtantiæ partis affectæ, vti loquitur Galenus, quæ quidem partes vicinas ſenſim inficit & corrumpit, fieri nequit vt ei quod plenè mortuũ eſt & corruptum vita reſtituatur. Vnica igitur hęc erit curãdi ſphaceli ratio, vt pars ſincera conſeruetur: id quod fiet applicatis defenſiuis, & extirpato eo omni quod corruptum eſt. Ergò paulò ſupra aut circa partem iam emortuam applicandum erit defenſiuum, quale ſuprà cap.10. Et quãuis non detur ſpes conſeruandi quod ſincerũ eſt, defenſiuum nihilominùs ſedulò applicandum eſt, vt hoc modo vapores à putredine exhalãtes arceantur à partibus principibus. Corrupti extirpatio variis fit modis. Nonnulli ſca-

Gal. comment. 50. in Aph. Hippocr. sect. 7.

1. *modus extirpādi carnem mortuam.* rificationi altiùs factę inter ſanā partem & mortuam inſpergunt puluerem ex Arſenico, vel Ægyptiacum indunt Arſenico fortificatū. At nos iam antè docuimus Arſenicum in medicamētis ſepticis cenſeri, atque dira & periculoſa inferre ſymptomata, ac proinde alienum eſſe ab huius morbi curatione. Loco Aſenici mirè placēt ruptoria facta ex cinere ſarmentorum &calce viua: quippe illicò & indolenter profundam gignunt eſcharā,& cùm nulla qualitate maligna ſint prędita,nequaquam lædūt partes principes, vt facit Arſenicū. Hæc inſerēda ſunt inciſionibus factis ad carnem ſanam. Eſchara verò facta,non eſt eius caſus expectandus naturæ aut medicamentorum ope, ſed remouenda ſeparandáque eſt nouaculâ alióve inſtrumento idoneo. Tandem, ſi videat chirurgus carnem mortuam nondum penitus extirpatam, denuò applicabit vt antè ruptoria, quoad quicquid eſt putre à ſano & ſincero planè ſeparatum ſit. Alter mo-

2. *modus.* dus extirpandi quod corruptum eſt cautere actuali,perficitur dum vritur quicquid infectum corruptúmque eſt, & remouetur eſchara nouaculâ vel pharmacis, putà ſucco porrorum aliiſq;

3. *modus.* antè propoſitis. Tertio modo reſecamus primùm vna eadémque vice nouaculâ quicquid corruptum & mortuum eſt.ídque quàm proximè accedentes ad ſanum & ſincerum: dein cautere actuali vulnus inurimus tum ſiſtendi ſanguinis gratia, tum etiā ſiccādarum & abſumendarum reliquiarum ſanguinis & humorum corruptorum in parte affecta:poſtmodùm aggredimur ad remouendam, vt antè,eſcharam. Veruntamen

tamen ſi inſit parti vas aliquod, veluti arteria, aut vena, operatio tantò erit periculoſior, quanto hæ grandiores fuerint. Itaque ſi metus eſt hemorrhagiæ, præſtabit cautere potentiali & actuali operationem exequi, quàm nouaculâ, quãuis hæc ratio tutior & ſecurior eſt: tum quia dum amputatur caro emortua, fit ſimul & ſemel ſanguinis & corruptorum humorum euacuatio: vnde pars nõniſi plurimùm leuari poteſt, tum quia dum primùm reſecatur portio carnis corruptæ, cauter actualis altiùs penetrat, adeóque exiccat potentiùs corruptionis reliquias: contrà verò, ſi relinquatur caro mortua, cauter ſubitò gignet eſcharam duriſſimam, ſub qua putredo manebit cõcluſa citra per ſpiratione vllam: itáque res erit loco quam antè peiore. Hæ operationes poſſunt exerceri quum ſphacelus ineſt parti corporis quam non ſit neceſſe aut poſſibile totam extirpare: verbi gratia femori, clunibus & cæteris id genus partibus. At ſi ſit in manu, pede, brachio, tibia, totúmque mẽbrum occupet, id vnũ reſtat vt ſupremo remedio extirpentur nõ ſolùm partes carnoſæ, ſed ipſum etiam os. Verùm antequàm declaremus operationis modũ, videamus, quo loco tutiùs & cõmodiùs ea poſſit inſtitui.

CAP. XIIII.

De amputationis loco.

DIcturis de loco in quo amputatio facienda eſt, conſideranda occurrit partis affectæ differentia. Quare ſi ſphacelus ſit in pede, aut tibia, operatio facienda eſt quatuor quinquéve

digitis infra genu, nempe ſub poplite. Etſi enim chirurgus tenetur quãtum poteſt corpus quàm integerrimum conſeruare, tamen cùm reliquus tibiæ truncus nonniſi impedimento futurus ſit, debet, vti diximus, fieri amputatio prope genu: ſic enim æger commodiùs vtetur lignea tibia. At ſi ſphacelus genu ſuperârit, quàm minimum ſinceri reſecandum quoad eius fieri poterit. Idem de manu iudicium: in qua operatio commodè fiet ad carpi articulationem, vt tantum è brachio conſeruetur, quantum cõmodè alligandæ & aptandæ manui ferreæ ſufficiat.

Porrò quoniam volũt nonnulli partem reſecari in ipſa carne mortua, ac corrupti etiam nonnihil relinqui, ad vitandam, inquiunt, hęmorrhagiam & dolorem, ac nihilominus cenſent quicquid putredinis reliquum eſt abſumendum cautere actuali, noſtram quoque ſuper hac re ſententiam afferre non abs re fuerit: præſertim cùm ex hac operatione minùs rectè adminiſtrata periculum non leue impendere ſit certiſſimum. Primùm igitur videndum, num huiuſmodi operatio tutò adminiſtrari poſſit. Ideóque reuocandum in memoriam Galeni illud, Sphacelum corruptionem eſſe ſubſtãtiæ partis quam ipſe occupat, ita vt ipſa etiã oſſa labem ſentiant.

Com. 50. ſect. 9. Aph. Hippoc.

Hæc cùm ita ſint, non ſat eſt extrinſecus cutem conſpicari, ſed quouſque peruadat malum attendere, vt tota pars affecta extirpetur: alioqui futura eſt inutilis operatio: nempe quia corruptio oſſi impreſſa denuo inficiet partem ſanam. Aduertendum præterea quò calidiores & humidiores ſunt partes, eò faciliùs eas putreſcere.

re. Eſt autem certum muſculos & vaſa in intimis ſita partibus multò calidiora & humidiora eſſe, quàm ſit cutis extima, ac proinde putredini & corruptioni magis obnoxia. Hinc ſequitur corruptionem & putredinem altiorem eſſe ſępenumerò in ima parte, quàm foris in ſumma cute appareat. Itaque ſi iuxta id quod apparet operationem tuam adminiſtraueris, fruſtra ægrum cruciabis, dum carnis emortuę plurimum in ima parte relinques. Quoad hæmorrhagiam, ea non magnopere pertimeſcenda, ſi partem ad ipſam carnem emortuam reſecueris. Verùm hîc intelligendum eſt, ex præſtantiſſimorum quorundam chirurgorum ſententia, operatione facta ſanguinis quantitatem aliquam ſinendam effluere: neque id abs re. Enimuero ſanguis putredini ſiue carni mortuæ contiguus, cùm iam quodammodo corruptionem conceperit, nonniſi nocere poteſt, quandiu in parte moratur: imò niſi ſufficienter euacuatus fuerit, paucis pòſt operationem diebus gangręna rurſus truncum inuadit, aut ſaltem inflammatio phlegmonéve aut dolor, & cætera grauia ſymptomata ſuperuenient: quæ vt vites, ſinẽdus effluere aliquantus ſanguis pro ægri virium ratione. Hæ tamen ſi nequeant ſanguinis illam euacuationem ferre, chirurgus facilè ſiſtet hæmorrhagiam, etiamſi partem amputarit altiùs intra carnem ſanam: nempe ſi arctiſſimè conſtringat lorum quod ſuperligatur parti cui ſerra adigenda eſt. Sic enim venarum & arteriarum vaſa ita conſtringuntur, vt vix tres quatuórve ſanguinis vnciæ in amputanda tibia pereant, modò chi-

rurgus induſtriè ſeſe geſſerit. Tamen etiamſi paulò plus pereat, non eſt exiſtimandum supernè omnẽ prodire, ſed partem etiam ex ipſa parte amputata manare, quę quidem protinus quicquid continebatur ſanguinis regurgitat.

Quod ad dolorem, intelligendum eſt arcta ligatura chirurgis vſitata, ſpiritũ animalem impediri quominùs vigeat in parte affecta, adeóque hanc veluti obſtupeſcere, proptereáque nouaculâ optima priùs ſectionem abſolui, quàm æger ipſe animaduerterit. At vbi os ſerrâ reſecandum venit, túm acutiſſimi percipiuntur dolores, non quidem oſſis ratione quod inſenſile eſt, ſed ipſius perioſtij quod eſt acutiſſimo ſenſu præditum. Vt igitur operatio fieret citra dolorem, neceſſe foret totam partem ita corruptam eſſe, vt illi etiam membranæ corruptio communicaretur. Id ſi ita haberet, ánnõ, quæſo, & ipſum os tali imbutum eſſet corruptione, & caro oſſi adhærens itidem corrupta, putris & emortua multò profundiùs quàm extimam cutem ſpectanti videretur? cùm caro illa oſſi vicina procliuior ſit ad corruptionem, quàm quæ cuti proxima, ſicut antè monuimus. Sic autem inutilis foret operatio, cùm reliqua corruptio nunquam poſſit cautere corrigi. Iſti autem dum vitare dolorem nituntur, eundem duplo videntur augere. Vbi enim tantum emortuæ carnis abſumendum eſt, quantum relinqui volunt, vix ſatiſfacient duo tréſve cauteres, imò etiam quinque ſéxve cum ardentiſſimo igni deſiderabuntur vſque dum inquam eos percipiat æger: alioqui irritus labor. Cæterùm ſummo cauteriorum ardo-

re

re liquantur adeps ac reliqui humores, imò & efferueſcũt atque ita vruntur & immodicè incaleſcunt partes ſentientes, quales ſunt nerui, tendones & pãniculi, vnde acutiſſimus dolor: & (quod maius eſt) vehementi horum cauterum vſtione gignitur eſchara ſiue cruſta duriſſima & denſa, quæ malignorum & putridorum vaporum exhalationem inhibet: vnde fit veriſimile eos ad partes principes ferri. Neque enim ſic poſſunt omnia cautere exiccari, quin remaneat aliquantum nouæ quaſi corruptionis fermentum, dum eſchara putreſcit. Præterea carne mortua ſic abſumta, cutéque cauterum vi contracta & corrugata, magna oſſis eminentia relinquitur, ac fortè talis quæ ſerræ opus denuo flagitet. At enimuerò ſi perpetuò incidenda pars in carne mortua, quid fiet in pedis ſphacelo? nunquid magna tibiæ portio tibi relinquenda erit, aut expectandum dum corruptio aut putredo altiùs peruaſerit? Hoc autem ægro erit periculoſiſſimum, illud eidem moleſtum ac laborioſum. Concludemus igitur ex Celſi, Aëtij, & plurimorum recentium medicorum & chirurgorum ſententia operationem adminiſtrandam in parte ſana: cùm ſatius ſit ſincerum aliquid reſecare, quàm emortuum quippiam relinqui. Neq; quicquã intereſt, ait Celſus, an ſatis tutum præſidium ſit quod vnicum eſt: & cùm morbus ſit extremus, quis non fateatur adhibendum extremum remedium? Denique ſi tutò opereris, feliciorem ſpectabis euẽtum, quàm ſi ſecus feceris. Nullo verò modo tuta operatio quæ fit in carne mortua: quoniam mali radix re-

Cor. Celſus l. 7. c. 33.
Aët. lib. 14. c. 33.
Guido tract. 6. doctr. 1. c. 8.
Leonh. Fuchſ. de med. mor. lib. 5. c. 5.
Petrus Francus lib. de hernÿs c. 95. & 103.

Galen. de arte cur. ad Glau. lib. 2. c. 9.

linquitur. Quòd ad Galeni doctrinam attinet, ea videtur pugnare cum Celsi & cõplurium recentiorum vsitata praxi. Verùm intelligendum est Galenum spectasse quod præcipuum est potiùs, quàm quæ ex eo consequuntur. Quia ergò putredo semper altior est in ima parte, ceu calidiore simul & humidiore, vt antè docuimus, noluit Galenus inchoari amputationẽ extrinsecus à mali radice, ita vt relinquatur præcipua radix & putredo in ima parte, nimirũ inter musculos & vasa: ibi enim vera putrefactionis radix, nõ itẽ foris in cute. Vt igitur tollatur radix illa, necesse est sinceri aliquid resecari, ídq; extrinsecus. Hinc patet non pugnare Galenum cum Celso & aliis quos antè citauimus.

Quòd spectat ad eam quæstionem quæ proponitur, liceátne membra sphacelo affecta in ipsa articulatione amputare, necne: tum mea, tũ & aliorum quorũ operationib. interfui experientia fretus, affirmare ausim in articulatione fieri amputationẽ minori cum dolore & citra periculũ. Minore quidem cum dolore: quia nunquam tam præcisè amputes & separes neruorum & membranarũ portiones, quin aliquatenus serra in eas incidat, eásq; diuellat cum vehementissimo ęgri cruciatu. Citra periculũ verò, quia nerui & tendones penitus abscissi sursum cõtrahuntur eosque caro operit: vnde nec spasmi nec alîus symptomatis vllius metus est. At hîc rursum pro partis affectæ differentia administrãda operatio, Nã si malum sit in pede aut tibia, incisio facienda circa poplitem, vt eò cõmodiùs aptetur ægro lignea tibia. Sin sphacelus poplitem superarit, in

ipsa

ipsa genu articulatione incisio facienda veniet.

CAP. XV.

Amputandi membri ratio.

ANTE amputationem, nisi vehementiùs vrgeat morbus, præscribenda ægro vniuersalia remedia, nempe victus ratio, purgatio, phlebotomia, cordis roboratio, & cætera quæ necessaria videbuntur. Quare si æger est iuuenis, validus & plethoricus, parum alendus, leniente pharmaco purgãdus, deindéque secanda illi vena. Cõtrà si debilis is sit, liberaliùs alẽdus est cibis cõcoctu facilibus, citra phlebotomiã. Deinde vbi roboratum fuerit cor epithemate, quale cap. 9. præscriptũ est, ac vbi exhibita fuerint oua recentia & panis tosti vino intincti buccella, siquidem amputanda est tibia, collocandus æger super scãno, quò firmior maneat tibia. Tùm chirurgus sursum retrahet musculos & cutim: arctissimóque vinculo partem sanã constringet paulò supra locum amputãdum: erit id vinculum è tenui redimiculo, cuiusmodi illud est quo mulieres ad religandos nodãdósque suos crines vti cõsueuerũt. Vsus ligatura duplex. Primùm enim ita comprimet venas & arterias, vt non metuẽda sit hæmorrhagia. Deinde compressione sua inhibebit spiritum animalem, quominùs per neruos deferatur: vnde reddetur pars quasi stupida adeóque incisionẽ faciliùs perferet. Guido vult vinculum alterũ adhiberi parti emortuæ, vt inter duo illa fiat incisio: nec malè fortassis. Cùm enim adstantes terreantur hemorrhagia seu san- *Guido de Caul. tra. 6. doct. 1. cap. 8.*

guinis eruptione, quæ ſæpius chirurgum calumniandi occaſionem præbet: huiuſmodi ligatura coercetur ſanguis intra vaſa partis emortuæ, ne tam copioſus diffluat. Alij ſupra genu vinculum adhibent, ſi ſit amputanda tibia circa poplitem, aut ſub cubito, ſi ſit incidenda manus ad carpum: vt ſit, inquiunt, obſcurior ſenſus. At præterquàm quòd nerui ſunt ibi profundiùs ſiti, quàm vt eos ligatura valeat comprimere, cõtunduntur ſępius iſtiuſmodi compreſſione partes muſculoſę, & noua fit ſpirituum interceptio. Arcta ligatura ſic facta, chirurgus ad extremum ſcamnum locabit tibiam, ita vt illius extremitas perueniat infra genu: tum faſcia alligabit genu ſcamno, nequà fortè dimoueatur. Inſuper & habebit ſcabellum eiuſdem cum ſcamno altitudinis, ſupra quod pedem ac tibiæ quoque reliquũ collocabit, ſimiliter alligãs ipſum etiam pedem ſcabello. Præter hæc, ſtatu & pone ęgri humeros robuſtum aliquẽ iuuenem etiã alterum: qui amplectatur cum ipſo genu ſcamnum: tertium qui pedem cum ſcabello contineat. Ita firmiter continebitur pars, eóque agiliùs operabitur chirurgus, nec ſerra vſquã implicabitur: quod vbi accidit, cruciatur æger & adſtantium calumniam chirurgus incurrit. His peractis, nouacula probè exacuta aut alio quouis cultro incuruo incidet carnẽ ad os vſque, ſeparans ſimul & ſemel perioſtium, quoad eius fieri poterit. Si duo ſint oſſa parallela, veluti infra genu, & ſupra carpũ, cultro incuruo & acuminato ſeparanda eſt caro intermedia, ne quod ſerræ obſtaculum occurrat. Tãdem ſerra reſecabit os quanta poterit agilitate &

dexte-

dexteritate:ac vbi ſanguinem effluere ſiuerit pro ratione plenitudinis ac viriũ ægri, cauterio vaſa inuret ad ſiſtendum ſanguinem, ipſúmque etiam os quo citiùs excidant eius fragmenta. Demum ſoluet vinculũ quod eſt ſupra inciſionem, & applicabit ptygmation è ſtuppis intinctum priùs oxycrato, dein ouorum albuminibus, & aſperſum puluere ſequenti plurimo:

℞. Far. volatil. ℥ vj. ſang. drac. thuris, aloës, ana ℥ ß. boli Arm. terræ ſigillatę, gypſi, ana ʒ ij. ranar. aquatil. præparat. (mirificè enim & proprietate quadam occulta ſanguinem ſiſtunt) ℥ ij. pil. leporis minutiſs. inciſorum, ſpongiæ nouæ torrefactæ, ana ℥ ß. Miſce. Fiat puluis ſubtiliſſimus. Poſtea defenſiuo circa truncum applicito ipſum reuinciet faſciis intinctis in oxycrato: nec mutabit hunc apparatum ante ſecundum tertiúmve diem, ſi æſtas fuerit, aut quartũ quintúmue, ſi hyems. *Puluis ad ſiſtendum ſanguinis profluuium.*

Defenſiuum tale fuerit, quale deſcriptum eſt cap. 10. aut etiam huiuſmodi: *Defenſiuum.*

℞. boli Armen. ſangu. draconis, maſtiches, gypſi, ana ℥ j. olei roſati, myrtini, ana ℥ j. album. ouorum nu. 2. aceti q. ſ. Fiat vnguentum in mortario.

Nõnulli quò ſecuriùs præcaueatur hęmorrhagia, ligaturæ ſolutionem differunt in ſecundum apparatum. At hoc nonniſi cum ęgri damno fieri poteſt, quoniam vinculum illud magnos excitat dolores, attractionémque promouet ſanguinis atque humorum, qui accenſi tandem in parte ſuppurantur: vndę noua prauorum ſymptomatum occaſio.

Quarto quintóve die ablato apparatu primo, rursus apponēda sũt vasis ptygmatia è stuppis intinctis in albuminib⁹ ouorũ cũ puluere memorato: ipsi vero ossi linamēta cõcerpta arida: tandē contegetur vulnus digestiuo sequēte aut simili:

℞. Tereb. lotæ in aqua plantag. ℥ iij. olei rosati ℥ ß. vitellum vnius oui, croci ℈ j. Misce.

Neque verò mutabuntur hæc remedia ante digestionē factam, imprimis defensiuum: aspergetúrque vasis puluis ille, quoad non sit ampliùs ab hæmorrhagia periculũ. Tùm remoto digestiuo, detergebitur vlcus mũdificatiuo nostro de succo apij, cuiusmodi infrà extremo hoc capite: aut etiam sequente:

℞. Terebinth. lotæ in vino ℥ vj. Pulu. radic. Aristol. rotundæ, Iridis Flor. far. hordei, ana ʒ iiij. mellis rosati ℥ iij. aquæ vitæ ℥ j. Theriaces ʒ ij. Misce: fiat mundificatiuum.

Interim nitendum deorsum retrahere cutem ac musculos qui sursum attracti fuerant, vt paulatim denuò contegant ossium incisorum extrema, vtque post cicatricem inductam cutis ea & ipsi musculi puluini instar extremis illis ossibus substernantur. Quamobrem solent nonnulli decussatim ipsa vulneris labia suere statim ab ipsa operatione, sicque cutem & carnem appropinquant. At id quantumuis expeditę fiat & industriè, tamen non sine aliquanta sanguinis profusione accidere potest. Prætereà intumescentibus vulneris labris donec digestio facta sit, sutura laxatur, adeóque cutim lacerat. Hæc vt vitentur incommoda, placet adhiberi suturam quam vocant siccam hunc in modum: Linteum induco em-

plaſtro ſequente, ídque trunco circumpono, ad ipſas videlicet oras vulneris :

℞. Farinæ volat. ℥ j. maſtiches, thuris, ſanguinis drac. roſar. rub. gummi tragac. ana ʒ ij. Miſce cum albuminib. ouorum.

Siccato emplaſtro & tenaciſſimè hærente, acum filo traiectam inſero, ſicque vulneris labra nihilo ſeciùs appropinquo, quàm ſi ipſam cutem & carnem perforaſſem. Tandem dum curatur vulnus, procurandus caſus extremorum oſſium, quæ aëris & ſerrę contactu alterata fuerint, aſperſis puluerib. catagmaticis, cuiuſmodi hic fuerit:

℞. Radic. Ariſtol. rotundæ, peucedani, iridis Flor. corticum pini, ana ℥ ß. Miſce.

Euphorbium quoque (etſi genuino & legitimo Dioſcoridis caremus) ſeparat & deturbat oſſium carioſorum fragmenta, velut & emplaſtrum è Betonica. Neque verò maiore vi extrahenda illa extrema, fragmentáve oſſis, ſed interdum concutienda leuiter: reliquum naturæ & pharmacis permittendum. Non eſt interim expectandus horum caſus ante trigeſimũ vel quadrageſimum diem ab amputatione. Eſt & excreſcens in trunco ipſo caro coërcẽda puluere aluminis vſti: deinde inducenda cicatrix emplaſtro palmeo, de ceruſa cocta, vngu. deſiccat. rubro, diapompholygos, & ſimilibus. *Dioſcor. lib. 3. c. 8.*

Ad mitigandum dolorem & conuulſiones, quæ vt plurimùm operationi ſuperueniunt, tum quòd nerui ſecti retrahuntur ad ſuam originem, tum quòd ſpiritus animalis obſtructa via regrediens punctorios nonnihil & conuulſiuos dolores excitat, inungenda eſt tota pars, imò e-

tiam ceruix vnguento ſequente:

℞. Olei ſaluiæ, aneth. cham. vulpini ſucci lumbric. VVieri, ana ℥ ij. olei terebinth. ℥ j ß axung. humanę ℥ j. croci ʒ j. aquæ vitæ ℥ ij. Miſce: fiat linimentum.

Ambroſ. Paræus lib. 12. ca. 36. Hîc Ambroſius Paræus plurimùm laudat vnguentum ſequens, maximè efficax contra ſpaſmum, paralyſin, ſtuporem, contorſiones, diſtenſiones & cæteros, præſertim neruorum, affectus ex cauſa frigida ortos.

℞. Saluiæ, chamæpityos, maioranæ, roriſmarini, rutæ, lauendulæ, ana m. j. flor. chamæm. melilori, ſumm. anethi & hyperici, ana P. ij. baccarum lauri & iuniperi, ana ℥ ij. radic. pyreth. ʒ ij. maſtiches, aſſæ odoratæ, ana ℥ j ß. terebin. Venetæ ℔ j. olei lumbricorum, aneth. & catellorum, ana ℥ vj. olei terebinth. ℥ iij. axungiæ humanæ ℥ ij. croci ʒ j. vini albi odoriferi ℔ j. ceræ quantum ſatis ſit.

Contundenda contundantur: pulueranda puluerentur. Poſteà coquantur cum oleis & axungia prædictis in vaſe duplici. Fiat linimentũ ſecundùm artem. Adde in fine aquæ vitæ ℥ iij.

Sunt qui ægro ante operationem ſoporiferũ aliquod præbeant, vt minùs ſentiat dolorem. At *Guido de Caul. tra. 6. doct. 1. cap. 8. Io. de Vigo. lib. 4. tract. 7. cap. vlt.* nos ex boni Guidonis de Caul. ſententia abſtinebimus. Quippe iſta narcotica perquàm periculoſa ſunt propter grauiſſima quæ inducunt ſymptomata, imò & mortem. Quare de iis agere ſuperſedebo. Mundificatiuum noſtrum de ſucco apij ad mundificanda & incarnanda gangręnę vlcera, aliáque ſordida & maligna, ſic pręparatur: *Mundific. de ſucco apij.*

℞. ſucci apij, ſcordij, arnogloſſæ maioris, ru-

tæ,

tæ,ana ℥ iiij. mellis roſati ℔ j.

Coquantur ad conſiſtentiam ſyrupi: tùm admiſce far. lupin. pulu. radic. ariſtol. rotundæ, angelicæ, vincetoxici, theriaces, ana ℥ ß. aquæ vitæ ℥ j. Miſce. Fiat vnguentum, quod ſeruetur in vaſe vitreo.

CAP. XVI.

Ægri à præcedente curatione victus ratio.


NEc verò in curatione tātùm cauta eſſe debet ægri diæta, verumetiam, ſi fauēte Deo liberatus fuerit à tā dira & funeſtra lue, aliquantiſper ſibi temperabit laudabili victu cōtentus, omnem intemperātiam ſeu in potu, ſeu etiam in cibo vitabit, multò magis quam antehac ſobrietati ſtudebit, quandoquidem imminuto corpore non tantū alimenti deſideratur. Si fuerit iuuenis quiſpiam robuſtus & ſanguine copioſo prędítus, purgabitur interdum & venam malleoli tūdendam curabit. Plurimùm enim quibus amputatum eſt brachium vel crus accidit, vt dum natura de more trāſmittit ſanguinē alimentarium, vt ante ſolebat, is obſtructa via cogatur ſurſum regurgitare, & inflammare partes intimas, hepar nimirum, pulmones, diaphragma & cæteras id genus partes. His igitur vt occurras, præter vitæ cōtinentiam, purgandum eſt corpus, & aperienda vena interna malleoli, vt non ſolùm humores & ſanguis depleātur, ſed deorſum trahantur & à partibus principibus deriuentur. Hîc porrò Venus nocentiſſima: in ipſa quidem curatione le-

thalis,& multis etiã pòst diebus planè periculosa. Eiuſce rei fidem faciet hiſtoria memorabilis nobilis cuiuſdam,cui Coſmas Slotanus experiẽtiſſimus Chirurgus Valentiæ læuam amputarat, ex ictu ſclopeti inflicto contuſam. Ægrotanti iuueni voluptatib. dedito diſertè interdictum erat ab vxoris congreſſu:at is vulnere propemodum perſanato,& ſedatis ſymptomatis omnibus eam interpellauit, qua renuente propter ſeria Slotani monita,ipſe emiſit ſperma citra coitum: atque hinc recidit protinùs in febrim, deliria, ſpaſmos, aliáq; grauia ſymptomata, tandémque obiit quarto pòſt die. Ex his intelligimus, quàm infeſta ſit Venus neruis & neruorum vulneribus æquè ac capitis & articulorum affectibus.

Obſeruatio.

FINIS.





ODE IOAN. RHETERII GEN. Ad GVLIELMVM FABRICIVM HILDANVM CHIRVRGVM

Menſe Februario 1598.

HIldane, à patrio ſolo:
(Nam te Fabricium tempero dicere
Detrito malè nomine)
Nunc cum limen amat ianua, nunc agè
Dicamus calidè ad focum
Obſtipi, niuis in mole volatili
Quantam non memorant ſenes:
Quid tantùm properas te gelido ſolo
Longis addere tractibus,
Quò mî ſæpe negat caſta virum Venus
Incitare, ſuis timens
Mater molliculis prouida amoribus?
En lactens, oculi tui,
Blandus Ianiculus, quàm citò diffluat,
Maio rore tenerior,
Patrino procul à Pæone nobili
Natiuum fugiens larem!
Naturæ poteris vincula ſcilicet
Numen diſtrahere alterum:
Aut ipſum temerabis ſtolidè Iouem,
Poſtquàm fulmineus gigan-
tum victor placidè regna tenet potens.

Cœpti desine: vel mihi
Si non certa fides, consulito tuam,
Quæ sacro numero legens
Annos nunc puerascit verecunda, Si-
byllam vaticinam tibi:
Neu cælum, ast animum quære nouum, præcor.
Quin illi Tanaim bibant
Extremum, Oceani flexibiles gyro,
Quos fallunt gemini poli
Axes, & diameter pedis ad pedem.
Hac tu sede sedens, tuum
Lustrato μικρόκοσμον Podalirius
Noster, tutiùs ac tibi
Nobísque vtiliùs: publica cùm vagum
Merces detineat libens.
Curtæ námque aliquid semper abest rei,
Quo te cunque feras, nisi
Ditet sese animus diuitiis suis.
Pergis propositi tenax
Insigni à Rhodano, & veliuolo lacu
Hildanúmque redux tuum,
Dilectámque salutare Coloniam?
Non vltrà laterem lauo,
Sed me, eheu, lacrymis quas ferus exprimis.
At ne dissidium loci
Fraternos animos diuidat, hoc vide.
Quin vt mistus adest labos,
Sic mistum caleat perpetuò iecur.